INSTRVCTIONVM
MYSTICARVM
LIBER IV.

COMPLECTENS

Inſtructionem ad perfectam abnegationem ſui-ipſius & omnium creaturarum,

ET AD

Vitam Dei-formem & divinam in Deo, propter Deum,

ET AD

Vitam Mariæ-formem & Marianam in Maria, propter Mariam,

AC

De adorando Deo in ſpiritu & veritate

In quatuor Tractatus diſtinctus & compoſitus

Per R. Admod. Patrem MICHAELEM à S^TO AUGUSTINO Ex-provincialem Ordinis Fratrum Beatiſſ. Virginis MARIÆ de Monte Carmelo, in Provincia Flandro-belgica.

Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Colloſſ. 3. 3.

ANTUERPIÆ

Typis *Marcelli Pariys*, ſub Turri D. Virginis, 1671.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLOGUS

Eccleſia militans hîc in terris, & Eccleſia triumphans in cælis ſunt duæ Sorores, & in vinculo Charitatis habent communicationem ad invicem: Eccleſia militans expoſita eſt multis periculis, tempeſtatibus, & inſultibus; ſed Triumphans immunis ab omni periculo, anguſtiâ, & miſeriâ, eſt in requie, opulentiâ, gaudio & exultatione, unicè anhelans, ut hic militantes brevi & fæliciter ad ejus valeant tranſire conſortium; in quem finem ijs libenter opitulatur, pro illis orando, & gratias congruas à Deo impetrando.

Eccleſia militans Dei gratiâ roborata ſatagit Triumphantem aliquo uſque æmulari in Dei laudibus & gratiarum actionibus; quatenus hic per lumen fidei & amorem unitivum ſoli Deo adhærendo unus cum illo Spiritus fiat, ſicuti Beati in cælo per lumen gloriæ, & amorem beatificum inſeparabiliter & æternaliter Deo adhærent, & unus cum eo Spiritus ſunt, conformiter ad dictum Apoſtoli, qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo: & quantò fideles hic adhuc certantes in hoc Beatis ſunt ſimiliores, tantò ſunt perfectiores, & proximiorem ad eorum Societatem habent prætenſionem.

Quocircà unicum eorum ſtudium eſſe debet, ut aſſequantur ſtabilem Dei contemplationem, & perfectam dilectionem, cum conſtanti excluſione omnium impedimentorum, quæ oculum fidei poſſent obfuſcare, & amorem tepefacere; ad quod ſummoperè conducunt omnis generis mortificationes, & aſſidua virtutum exercitia; equidem anima per hæc purgata, efficitur idonea ad Deum puro fidei oculo contemplandum, contemplando amandum, amando perfruendum.

Digitized by Google

Quâ perfectione acquiſitâ, anima jam non ampliùs habet quidquam, quod eam impediat à Vitâ Dei-formi & divinâ in Deo propter Deum; *ſicque de facili æmulatur vitam Beatorum, quantum id in hoc ſæculo fieri poteſt; & reverà hæc eſt perfectio, quam unicè in hac vita intendere oportet, ut vita noſtra ſit* Dei-formis, *id eſt, Dei beneplacito conformis, &* divina, *id eſt, per actualem divini Spiritûs ſeu ſupernaturalis gratiæ cooperationem adiuta*; in Deo; *id eſt, cum actuali aſpiratione, ſeu Spiritûs applicatione, aut amoroſâ inclinatione ad divinam Eſſentiam*; propter Deum, *id eſt, pure & ſincerè, ad majorem ejus gloriam, amorem, & beneplacitum, ſinè admixtione propriæ quæſitionis, aut alicujus extra Deum intentionis.*

In iſtum finem, ut in hoc ſim adiutorio animabus Deum quærentibus, & ſatisfaciam piæ multorum poſtulationi, permiſi mihi perſuadere, ut in lucem ederem convenientem Inſtructionem *ad hoc conducentem; & quia nemo ad* vitam divinam in Deo *reſurgere poteſt, niſi prius moriatur omnibus, quæ Deus non ſunt; ideò mihi bonum viſum eſt, hanc* Inſtructionem *in tres tractatus diſtinguere, quorum primus aget de morte, ſeu abnegatione ſui-ipſius & omnium Creaturarum: Secundus* de vitâ divinâ in Deo propter Deum, *Tertius* de vita Marianâ & Mariæ formi in Mariâ propter Mariam, *ad ſolatium animarum Mariam amantium; & quandoquidem* Vita divina in Deo propter Deum *exerceri nequeat ſinè jugi adoratione Dei in ſpiritu & veritate, quin potius per hanc neceſſariò debeat foveri & ſuſtentari; convenienter hic annectam quartum Tractatum, in quo deſcribam inſtructiones practicas* de adorando Deo in Spiritu & Veritate.

Supereſt

Digitized by Google

PROLOGUS.

Supereſt, ut ſemina bonarum inſtructionum in hoc libro contentarum cadant in terram bonam, ut fructum faciant centuplum; & quia neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus; *ſuppliciter rogo patrem luminum, ut qui ſemen dedit ad ſeminandum, etiam gratiam dare dignetur ad rigandum, & incrementum producendum in cordibus eorum, qui animo docili & humili has inſtructiones legent; quatenus Veritates in illis comprehenſas Spiritu illuminato capere, & ferventi voluntate amplecti, & in opus redigere valeant; ut ſibi & omnibus rebus creatis per totalem abnegationem mortui inveniant* Vitam divinam in Deo*, jam per gratiam, & poſteà per gloriam, per interceſſionem Matris amabilis, quæ hanc* Vitam in Deo, ac in ſe, *in nobis parere dignetur. Amen.*

TRACTATUS PRIMUS INSTRVCTIONIS
AD VITAM MYSTICAM
Compleɛtens totalem abnegationem ſui-ipſius & omnium Creaturarum.

CAPUT I.

Abnegatio ſui & omnium rerum eſt neceſſaria, ut ad Deum perveniamus: abdicatio creaturarum, & adhæſio ad Deum ſunt abſoluta principia vitæ Chriſtianæ, ad quæ nos dirigunt omnes conciones & Libri ſpirituales.

Creaturę impediunt acceſſum ad Deum.

CVm Deus ſit ultimus finis ad quem homo creatus eſt, clarè conſtat, quòd omnia, quæ Deus non ſunt, homini nullatenùs ſervire poſſint pro fine, in quo quieſcat, ſed, ut ſummum pro medijs, quibus ad Deum pertingat; porrò, quia homo ſibi-ipſi, & ſimiliter omnes res creatæ ei ſolent eſſe impedimento in debitâ ad Deum converſione ſeu adhæſione; ità ut illi ſit impoſſibile Deum finem ſuum ultimum attingere, poſſidere, frui, quam diu in ſe vel in ullâ creaturâ, id eſt, in inordinato ſui vel ullius creaturæ amore requieſcit; ideò nos commonet Saluator dicens, *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*; per quæ verba nos vult alienare à nobis ipſis tamquàm ab impedimento in ipſius ſequelâ; & quia omnes creaturæ affeɛtu adhæſivo poſſeſſæ hominem à Deo mediant & alienant, ideò Chriſtus earum abdicationem prædicans ait, *qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Matt. 16. 24.

Cur abnegatio neceſſaria

Luc. 14. 33.

Ex quo ſequitur, neminem poſſe ſequi Deum, ei adhærere, vel puro corde eum unicè diligere, niſi prius abneget ſemetipſum, & renunciet omnibus, quæ inordinato affeɛtu poſſidet; nemo etiam ſe ipſum & omnia creata abnegabit, quin ad Deum magis approximabit; cum enim nihil reperiatur præter Creatorem & creaturas, quantò quis ſe magis à creaturis per abnegationem elongat, tantò magis ad Creatorem appropinquat.

Averſio à creaturis eſt converſio ad Deum.

Hæc

Digitized by Google

457

Hæc ſunt duo potiſſima principia perfectæ vitæ Chriſtianæ, n. elongatio ſui à ſeipſo & ab omni re creatâ per veram abnegationem; & immediata adhæſio ad Creatorem, ſeu averſio à creaturis, & amoroſa converſio ad Deum; ad hæc duo principia in homine ſolidanda & perficienda ſerviunt ſacræ Litteræ, omnes libri pij, conciones & exhortationes; quidquid enim ſcribitur, vel prædicatur, vel in exhortationibus proponitur, in ordine ad perfectionem Chriſtianam procurandam, tendit ad totalem abnegationem ſui, & omnium, quæ cum adhæſione poſſidentur, atque ad ſtabilem, amoroſam & immediatam ad Deum converſionem. Averſio a creaturis & converſio ad Deum ſunt principia vitæ Chriſtianæ.

Quamobrem anima Dei amans nihil melius agere poteſt, quam toto conatu, & omni diligentiâ ſtudere totali ſui-ipſius & omnium rerum abnegationi; neque ullæ illuminationes, aut ſpiritûs inoperationes magni faciendæ ſunt, niſi eò dirigantur, ut hominem à ſe & alijs rebus avertant & ad Deum convertant. Sine abnegatione in vitâ ſpirit. nil æſtima.

CAPUT II.

Abnegatio ſui & omnium creaturarum docetur in ſcholâ Chriſti; oportet omnia ſinè reflexione tranſire, & ſe totum Deo committere, ſinè electione vel differentiâ faciendâ inter lucem & tenebras &c; aliter facere contrariatur humilitati & eſt ſignum proprij amoris.

QVandò Deus animam devotam ad ſe trahere deſiderat, eam replèt gratioſis illuſtrationibus, quæ ipſam inducunt ad conſtantem abdicationem omnium, quæ Deus non ſunt; quo ſic eam reddat idoneam ad jugem introverſionem, amoroſas liquefactiones, amicabiles ſui annihilationes, immediatas uniones, & transformationes in Deo; quocircà dum his Dei favoribus benè utitur & has illuminationes fideliter ſequitur, continuò frequentare debet ſcholam abnegationis ſub divino Magiſtro, Salvatore noſtro, à quo indeſinenter audit hanc lectionem, *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, &, *qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: cui lectioni addiſcendæ & practicandæ, dum anima ſeſe totaliter impendit, videtur interiùs doceri, quod deinceps multò perfectiori modo, quàm unquam antè, exercere debeat ſui abnegationem & derelictionem in providentiâ Dei, abſque ullâ interiori aſſecuratione, aut ſuffultione, quod ejus vita Deo ſit accepta; abſque eo, quod ambiat ullas experimentales gratias, intimitates vel non intimitates, lumen vel tenebras, dulce vel amarum Gratia docet abnegationem. *Mat. 16.* *Luc. 14.* Abnegatio docetur in ſchola Chriſti. Quomodò exercenda in vitâ ſpirituali

rum, læta vel triſtia; inſtruitur enim, quod inter hæc non expediat facere diſtinctionem, vel reflectere; quià hæc omnia ſuâ reflexione, vel æſtimatione reputat indigna, cum unum videat neceſſarium, & divinum illud, ac informe unum, Deus, inquam, eſſe debeat unicum ejus objectum, ad quod, in quo, & cum quo ſe unicè occupet; quaſi cæco modo, non cognoſcendo, aut diſtinguendo, quid illud ſit, vel quid Deus in illâ velit operari, vel non.

Deus ſecundum ſe objectum animæ abnegatæ.

Alioqui quamdiu adhuc habet electionem, vel facit diſtinctionem inter experiri vel non experiri, inter lucem & tenebras, inter intimas introverſiones vel diſtractiones, inter conſolationem & deſolationem (ſecundùm partem ſenſitivam) non poteſt ad ſinceram ſimplicitatem & ſpiritûs unitatem pervenire.

Indifferentia ad omnia illi neceſſaria.

Deindè, quamdiu anima adhuc aliquid affectat vel deſiderat, quaſi volens Deo ponere menſuram, quales gratias, illuminationes &c. ei largiri debeat; quamdiu adhuc ſentit & lamentatur, quaſi à Deo non pro voto præveniatur; tamdiu multos defectus committit contrà humilatatem, & manifeſta exhibet indicia, quod in omnibus vel pleriſque ſuis exercitijs ſe ipſam quæſiverit, & quod amor proprius in ipſâ majorem locum occupet, quam divinus; cum videat ſe omnia etiam divina, paſſim ordinare ad propriam ſatisfactionem, & non purè & præcisè ad ſatisfactionem ac beneplacitum Dei.

Signa, quod anima quærat ſeipſam in donis Dei.

CAPUT III.

Internum lumen docet animam abnegationem in omnibus, quæ arrident naturæ, in fervidis exercitijs, in amore D. Virginis, in negocijs, in cibo & potu, in colloquijs &c. cum actuali excluſione naturæ & amoroſâ introverſione, ſeu reſpiratione in Deo.

ANima deſiderans proficere in vitâ ſpiritûs & puro ac ſincero amore Dei, debet ſeſe fideliter exercere in continuâ abnegatione omnium, quæ naturæ ſolent eſſe grata, & omnium, quæ Deus non ſunt, idque in omni occaſione, converſatione, operatione &c. quò ſic Deo ſerviat quaſi proprijs expenſis.

Abnegatio exercenda in omnibus naturæ gratis.

Ad hoc animæ fideli non deficiet lumen, quod partim illi monſtrabit, eam ſeſe hactenùs fortè valde parum exercuiſſe in verâ abnegatione, cum fateri debeat, quod in pleriſque ſuis exercitijs, colloquijs, negocijs nimium

Digitized by Google

adhuc vixerit, naturam ſoverit, propriam complacentiam habuerit &c; ità ut ei videatur antè acta vita nihil aliud fuiſſe, quam continua ſenſualitas, vel certè illâ ut plurimùm permixta & aliena à puro ſpiritu; partim illud lumen eam docebit, quomodò omnes naturæ impetus, omnes actiones ſenſuales, nimiam in cogitando, loquendo, operando vivacitatem poſſit & debeat abnegare, in fundo cordis mortificare, & annihilare; atque (dum eſt neceſſe vel utile, adeòque Deiforme) exercere ſimpliciter, ſupprimendo impetuoſitatem, ebullitionem & nimis vivam naturæ colluſionem, cum ſuavi reſpiratione in ſuo informi Dilecto.

Anima devota in Spiritualibus quærit ſeipſam ſæpè.

Quomodò in illis ſe abnegabit.

Tunc etiam anima inſtruitur, quod ſimili modo abnegationem debeat exercere in tenellâ devotione, filiali amore & affectu ad Matrem amabilem, niſi fortè illa ſuaviter, ultro, & quaſi, ipſâ ſe paſſivè habente, fluerent; quamquàm etiam tunc ſpiritus advigilare debeat, nè illis naturaliter inhæreat, ſed omnem ſenſualitatem excludat, & omnia in Deum fluere ſinat.

Abnegatio exercenda in devotione ergà Divam Virg.

Idem videt eſſe faciendum in converſando cum alijs, in ſumendo corporis alimento, in functione officiorum, in temporalibus negocijs &c; nimirum, quod in omnibus & ubique comitari debeat actualis abnegatio omnium, quæ natura ibi poſſet prætendere, quærere, invenire, frui; ità ut ſemper & ubique adeſſe debeat excluſio naturæ, cum actuali ad Deum aſpiratione; quò ſic vita naturæ, aut ſenſualiter nuſquam foveatur, aut foveri ſinatur; nequidem in ipſis Dei donis, gratijs, illuminationibus, inoperationibus.

In converſatione, in cibo, potu, officijs abnegatio exercenda.

CAPUT IV.

Vera abnegatio eſt jugis mors, pretioſa in conſpectu Domini; ad quam pauci perveniunt, & magnâ gratiâ opus eſt: hæc mors exerceri debet ex puro amore Dei, eſtque initium vitæ abſconditæ in Deo; beati, qui ſic in Deo moriuntur.

EA, quæ jam dicta ſunt, fideliter practicare, eſt continuò mori; nam ſuiipſius abnegatio, de quâ loquimur, nihil eſt aliud, quam à ſeipſo exire, ſeipſum quaſi nolle agnoſcere, ſeipſum adhæſivè non attrahere quoad corpus vel animam, quaſi ad ſe non pertinerent, ideòque illa omnia recuſare, negare, ſubtrahere, in quibus extrà divinum ſuum objectum vellent vivere, quieſcere, vel ſibi complacere; de quâ morte ſcriptum eſt, *pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.*

Quid ſit abnegatio.

Continua mors Deo grata.

Pauci ſtudent abnegationi.

Subtilis vita naturæ.

Verùm vix unus ex mille ſeſe ad talem mortem vult reſolvere; plerique valde procul ab eâ ſunt elongati; quin imò nec ſic mori inceperunt, & vix de ſincerâ ſui abnegatione cogitant, nec talem mortem practicabilem exiſtimant; niſi fortè Dilectus eam ipſemet in animâ exerceat, vel continuo gratiæ lumine irradiet, quo ſubtilem naturæ vitam detegat, & gratiosâ motione adiuvet, quâ vitam illam detectam mortificet, abdicet, & annihilet; idque ex puriſſimo Dilecti amore.

Abnegatio, Dei amore exercenda.

Vita in Deo abſcondita.

Imò in hoc anima amoroſa potiſſimùm exercere debet ſuam ergà ipſum dilectionem, moriens mille mortes ejus intuitu, ut omnibus, quæ Deus non ſunt, mortua, abnegata, abdicata, tota in ipſo vivat; idque adhuc cum abnegatione, non attractione, abdicatione iſtius-met vitæ in Deo; equidem etiam iſta vita in Dilecto debet eſſe abſcondita naturæ, ne ipſa illam vitam in Deo arripiat pro fomento objecto propriæ vitæ; naturæ enim perindè eſt, in quo vivat, modò vivat.

Apoc. 14. 13.

Coll 3.3.

De his, quibus hæc continua mors, ſeu abnegatio cordi eſt, habetur ſcriptum, *beati mortui, qui in Domino moriuntur*; nam reverà ſic naturæ & omnibus, in quibus extrà Deum vel non Deiformiter vivebant, mortui, acquirunt vitam beatam, divinam, Deiformem in Domino, Dilecto ſuo, quamvis ex profundâ humilitate hæc ipſa vita naturam lateat: ad hos loquitur Apoſtolus, *mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.*

CAPUT V.

Modus internæ orationis pro animâ ad dictam mortem & vitam in Deo tendente, cum elevatione mentis & reſpiratione in Deo, & excluſione omnium aliorum objectorum, ſubindè intimè, ſubindè magis activè; phantaſia ſubindè colludit, & inſtar invaleſcentis nubis obſcurat animam, ſed Spiritus aliquandò eam vincit.

Modus internæ orationis per reſpirationem in Deo &c.

ANima prædictam mortem, ſeu abnegationem, & abſconditam vitam in Deo cordi habens, etiam ex ſpeciali Dei directione in illis fovetur, præſertim tempore orationis internæ, in quâ ſubindè ei facile eſt etiam per plures horas perſiſtere hoc modo; pro magnâ parte, in eâ manet cum elevatione ſpiritûs, cum ſuavi conatu, non violentâ intruſione, & etiam cum reſpiratione in informi Eſſentiâ Dei; aliquandò paulò activiùs, ut omnes alias imagines, objecta, phantaſias excludat, & ſic cum actuali excluſione

Digitized by Google

ſione omnium ſpirituum in Deo reſpirantem, elevatum & attentum teneat; porrò ſi anima poſt aliquantum temporis advertat internam operationem flacceſcere; ità ut ferè totaliter evigilet, & ſibi reſtituatur, nec jam aliquam introtractionem experiatur, convenienter ſe in activâ attentione conſervabit.

In iſta reſpiratione & vita in Deo, in iſta ſpiritûs ad Deum applicatione, in illa allectione, ſeu attractione divini Spiritûs; in quibus potentiæ ſenſitivæ parùm vel nihil colludunt, ſed potiùs excluduntur, ſubindè hinc indè adhuc ſeſe intrudunt aliqua phantaſmata, pro ut aliquandò nubeculæ aliquæ volitant claro die, quæ ſubindè evaneſcunt, ſubindè verò accreſcentes cælum obſcurant; nam ſimili modo, nonnumquàm phantaſmata, ſeu repræſentationes rerum impertinentium aſſurgunt in mente, quæ tunc inſtar clari cæli ſtat aperta, & cum ſumma attentione in ſuo informi divinæ Eſſentiæ objecto contemplando, reſpirando, amplexando intimè occupatur; ſed ſubindè evaneſcunt, vtpotè à ſpiritu ſinè reflexione relictæ, & ſic quaſi ad nihilum reductæ, ſubindè, ſpiritu in intima ſua operatione perſiſtente, & in ſuo objecto Divinitatis abſorpto, ludit phantaſia ſuas partes, objiciendo & movendo ſpecies impreſſas rerum ad propoſitum non pertinentium, atque hoc modo phantaſmata (quantum colligere licet) ab operationibus ſpiritûs ſeparata aliquandò invaleſcunt, & animam obnubilant inſtar accreſcentis nubis.

Occupatio in Deo.

Luſus phantaſiæ tempore orationis internæ.

Spiritus fixus in Deo.

Quod dum Spiritus advertit, aliquandò iſtum luſum phantaſiæ facilè poteſt declinare, ſinè reflexione præterire, & ſua vigoroſitate tranſvolat, ſeu evaneſcere facit, manens intereà quietus benè occupatus, & dulciter reſpirans ſuper ſuavem aërem informis Eſſentiæ divinæ: verum aliquandò ab iſtis ſpeciebus ſeu phantaſmatibus, ſpiritus quaſi obvolvitur, ſuperatur, obfuſcatur, & à ſua intimâ occupatione retrahitur, atque tunc aliquandò aliqua per modum ſomnij videntur in anima tranſiiſſe; quamquàm abſolutè & principaliter fuerit introtracta, ſpiritualiter occupata in reverentiali, amoroſa, fruitiva contemplatione, ſeu adoratione Dei in ſpiritu, atque, ex vi talis intimæ in Deo occupationis, remanet optimè inclinata, ſpiritu roborata, & ad omne bonum parata.

Non attrahit phantaſmata.

Subindè ab illis impeditur.

Signum bonæ orationis internæ.

CAPUT VI.

Anima utitur remedijs contrà ariditatem, ſed ſubindè in vanum: inſtruitur, quomodò internam derelictionem, tenebras, deſolationem, &c. debeat accipere pro materiâ amoroſæ mortis, abnegationis, & totalis in Deum reſignationis; quid propriè ſit abnegatio ſui.

Cur aliqui itâ ſentiant derelictionem. EX eo, quod natura ægrè ſe ad dictam mortem velit reſolvere, ſed potiùs cum certitudine & experimentali aſſecuratione cupiat vivere, ſæpiùs contingit, quod anima devota, in ſtatu ariditatis, & internæ derelictionis, magnam ſentiat difficultatem; quocircà, multo conatu, ſeſe ab illo conatur extricare; nunc confugit ad ſanctiſſimum Sacramentum, nunc ad Paſſionem Domini, nunc ad Matrem amabilem, ut obtineat Lamentantur in ariditate. ſpiritum compunctionis, veræ pœnitentiæ & devotionis; ſed ſubindè relinquitur ſinè ullo ſenſu pietatis, ſinè lumine, ſinè compunctione, ſinè notitiâ præteritarum imperfectionum; undè tandem in lacrymas erumpens teneram apud Matrem amabilem facit lamentationem, eo quod cælum ei videatur clauſum, quod ipſa miſericordes ſuos oculos ab eâ averterit; cùm tantùm poſtulet cordis compunctionem, peccatorum ſuorum notitiam, ac veram de illis contritionem, & tamen nihil vel parum poſſit impetrare.

Status derelictionis eſt materia abnegationis. Verùm, dum anima eſt de numero ad mortem ſpiritualem deſtinatorum, ſentit inſpirationem, quod fortè aliquandò habuerit, & retinere debeat propoſitum ſeſe in omnibus abnegandi, ſibi & creaturis moriendi, ſe totaliter Deo committendi, & tamen hanc optimam occaſionem elabi ſinat; docetur interiùs, quod carentia omnis ſenſibilis gratiæ vel devotionis, ariditas, mentis caligo, derelictio ſpiritûs, incertitudo prædeſtinationis, inſenſibilitas in omnibus, quæ ſunt ſpiritûs, &c. illi ſervire debeant pro materiâ propoſitæ abnegationis, & amoroſæ mortis propter Di- Se abjicere in Deum. lectum; quod in his omnibus ſe quaſi in incertum in Deum abjicere debeat, & ſic planè ſe-ipſam abnegare, nolle agnoſcere, vel attrahere.

Atque in ſignum talis mortis, abnegationis, & in Deum reſignationis, Signa perfectæ ſui abnegationis. non plus curare debet vel anxiari propter dictam carentiam, inſenſibilitatem, mentis caliginem, ſpiritûs deſolationem, quam ſi ſeipſam numquam noviſſet, quam ſi ipſa ad ſe non pertineret, atque hoc ſenſu ſeipſam abnegaſſet

Digitized by Google

gaſſet & abjuraſſet, cum irrevocabili reſolutione nolendi deinceps ſe agnoſcere tamquàm ad ſe pertinentem, ſed reputandi ſeipſam tamquàm alienam, tamquàm aliquid, quod non novit, nec vult agnoſcere, pro quo proindè non debet eſſe ſollicita, nec aliquid attribuere, nec ab eo avertere extrà voluntatem Dei, non magis, quàm ſi ad ſeipſam non pertineret, ſed ſibi in veritate dicere poſſet, *non novi te.*

Quid ſit ſe abnegare.

CAPUT VII.

Amor excitat animam ad ſeipſam propter Deum in omnibus abnegandam & mortificandam: eſtque importunus exactor, incitator & executor jugis mortis naturæ in omni occaſione mortificationis; quomodò hoc faciat, & animam inducat ad moriendum naturæ & ſpiritui cum gaudio & hilaritate.

QUandò Divinus Amor incipit dominari in animâ abnegatâ, continuò magis ſentit ſe accendi fervidis deſiderijs, hunc amorem aſſiduis naturæ & ſpiritûs mortibus comprobandi & confirmandi; imò iſte amor, durante hâc vitâ, debet animæ ſervire pro importuno exactore, impulſore, ſententiæ datore, executore & lictore ad dictam mortem ſinè intermiſſione inferendam, quæ proindè meritò nuncupatur mors amoris; ſed quandò natura vel ſpiritus in aliquo patitur difficultatem, & ægrè vult mori, poteſt vocari lucta, ſeu agonia amoris.

Amor docet & facit animam mori.

Lucta, & mors amoris.

Pro majori explicatione: amor Dei in animâ manens, oblatâ occaſione mortificationis, vel paupertatis ſpiritûs experiendæ, in occaſione patiendi in corpore vel ſpiritu, in afflictionibus, tædijs, deſolationibus, perſecutionibus, obloquijs, injurijs, internis derelictionibus, &c. commonet animam de anteriori propoſito abnegationis, & exigit, ut vi illius, ſe reſolvat ad libenter hic & nunc moriendum, & ſe abnegandum, ac ſe gerat ut mortua, idque ex purâ dilectione Dei, ſeu propter JESUM, ſinè morâ; ad hoc amor etiam animam adigit, non ſinendo quieſcere, donec ſe morti oblatæ tradat, petendo ſubindè, an hoc Dilecto ſuo poſſet recuſare, an in tantillâ re auderet tergiverſari, &c.

Praxis hujus mortis.

Amor ſuadet mori.

Idem amor pronunciat etiam mortis ſententiam contrà naturam & ſpiritum, eos ad illam ſinè remedio appellationis, vel tergiverſationis condemnando; utpotè cum jam ſit concluſum, quod anima deinceps in ſolo

Profert mortis ſententiam.

Dilecto vivere poſſit, & ut in illo ſolo vivat, in nullo alio extrà illum vivere liceat; ac proindè neceſſariò mori debeat omnibus, in quibus adhuc vivit, vel poteſt vivere, vel naturalis vitæ extrà Dilectum fomentum invenire.

Et eam exequitur.

Dei amor ipſe-met etiam hanc ſententiam executioni mandare debet, faciendo animam ſic mori, ſivè arrideat naturæ & ſpiritui, ſivè non, ſivè velint, ſivè nolint; atque ità animæ amoroſæ continuò agonizandum in amore, & in Deo moriendum eſt per amorem; ſciendum tamen, quod in animabus perfectis illa lucta ſeu agonia amoris ſit exigua; nam unica ad Dilectum ſuum reflexio eis ſufficit, ad mortem amoris in omni occaſione, hilariter ſubeundam, cum magnâ animi quiete & tranquillitate, ſeſe ad illam offerendo, abſquè eo, quod vel in minimo naturæ querelas audiant vel foveant; quin potiùs amori plenam dant libertatem, omnia pro libitu faciendi, & omnes potentias in cunctis agendis & omittendis Deiformiter dirigendi, abſquè oppoſitione vel impedimento ullius.

Amor facit hanc mortem ſuavem.

CAPUT VIII.

Anima Dei amore ſauciata ſe reſolvit ad jugem mortem, ad quam adhuc exoptat majorem amorem, quo continuò cogatur mori, ut in ſolo Deo vivat; mors per amorem ſit ſuavis, honorabilis, & vitæ divinæ lucrativa; à ſeipſo & creaturis per abnegationem exire, eſt in Deum introire.

Reſolutio ad mortem amoris.

DUm anima amore Dei ſaucia, à Spiritu ſancto illuminatur circà dictam agoniam & mortem amoris, alacriter ſe reſolvit ad ſic continuò agonizandum & moriendum, & ad hæc ſe totaliter tradit; ſed quia timet, quod amor in ipſâ necdum ſit ſatis fortis, ad tam continuas operationes, ſubindè movetur ad Dilectum ſuum humillimè deprecandum, quatenus ſuum amorem in eâ dignetur augere, confirmare & ſtabilire, qui ſic confirmatus & ſtabilitus eam numquàm relinquat quietam, ſed in omni, etiam minimâ occaſione, eam commonefaciat, in quo propter Dilectum mori poſſit; ut indeſinenter eam adigat, & omni momento tributum iſtius mortis Dilecto ſolvere faciat, ſivè natura velit, ſivè non; quin imò hanc mortem ipſe-met amor exequatur, quo ſic anima unico Dilecto,

Fortior amor neceſſarius.

Ad aſſiduam mortem amoris.

Digitized by Google

ctο, propter Dilectum, in Dilecto, vivere aſſueſcat, & eius ſolius intuitu omnibus, quæ ipſe non ſunt, perfectè mori: tali modo in animâ impletur illud Apoſtoli, *ſive morimur, Domino morimur; ſivè vivimus, Domino vivimus; ſivè enim vivimus, ſivè morimur, Domini ſumus.* Rom. 8. c.

Quandò amor in animâ tam fideliter ſuo munere fungitur, ipſi dulce eſt ſic mori; amor enim agoniam iſtam & mortem reddit ſuavem, deſiderabilem & amabilem; & quantò amor in animâ eſt intenſior, eò ſic continuò mori & ſeipſam abnegare ſuavius & facilius, juxtà commune dictum, *amanti nihil difficile; omnia vincit amor, duriſſima lenit amor.* Amanti mors ſuavis.

Summè honorificum eſt ex puro Dei amore toties mori; nam eſt continuum martyrium amoris pro immensâ Dei Majeſtate; eſt etiam utiliſſimum ſic mori; nam juxtà Apoſtolum, *mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*, lucrum utique vitæ divinæ: hæc enim mors amoris eſt janua, ſeu unicus ingreſſus ad abſconditam cum CHRISTO vitam in Deo; ideò inter Patres ſpirituales invaluit adagium, quò aliquis à ſeipſo & omnibus creaturis magis egreditur, eò in Deum magis ingreditur, nam egreſſio à creatis, eſt ingreſſio ad Deum; quocircà quo aliquis per mortificationem ſeipſum perfectiùs abnegat, & ex amore Dei cordialiùs renunciat omnibus, quæ inordinato affectû poſſidet, vel poſſidere poteſt; eò magis proficit in vitâ divinâ. Mors amoris honorifica & utilis. Exitus à ſe & creaturis eſt introitus in Deum.

CAPUT IX.

Modus internæ orationis pro animabus abnegatis, per fruitivam quietem & reſpirationem in Deo, cum excluſione potentiarum ſenſitivarum; qualis tunc ſit occupatio in Deo, & excluſio creaturarum: hæc oratio ſervit pro ſpirituali pabulo & reddit mortem amoris facilem & ſuavem.

ANima Deum amans, & proficiens in ſpiritu abnegationis, aliquandò ſe reperit in oratione modo, qui ſequitur; incipit eamdem animo tranquillo, Deum purè intendente, & deſiderante; deindè devenit ad intimam quietem cum ſuavi & profundâ occupatione in Deo, vix reflectendo ad corpus vel corporalem diſpoſitionem, vel facilè eam dimittendo & annihilando; ſic ut vereatur, ne naturalis aliqua quies miſceatur; etſi certa videatur, quod pro majori parte adfuerit occupatio, fruitiva quies, & reſpiratio in Deo; quantum meminiſſe poteſt. Praxis orationis pro animâ abnegatâ.

Poſtmodùm

Ipſius in Deo occupatio.

Poſtmodùm ſui compos facta, manet tota quieta, & ſuaviter propenſa ad continuandam amoroſam hanc in Deo quietem cum magnâ ſimplicitate & ſatisfactione ſpiritûs; memoria etiam videtur teſtari, quod in Deo quaſi obdormierit, & cum aliquali difficultate halitum ſumpſerit, cum ſingulari intimitate, & excluſione reflectionis ad quidvis aliud; ac cum intenſiſſimâ attentione, & attentiſſimâ adhæſione omnium potentiarum ad informem Deitatis Eſſentiam; tunc etiam reflectio ad aliquid aliud, v. g. ad aliquam incommoditatem corporis in ſuâ diſpoſitione vel reſpiratione, vel etiam alia phantaſmata manent quaſi ab extrà, & notabiliter quaſi in aliâ parte animæ, abſque eo, quod poſſint penetrare interius animæ ſecretum, ubi aliæ potentiæ nobiliores Dei contemplationi vacant, & ad exteriorem luſum inferiorum potentiarum non advertunt, eas tantùm quaſi de longè percipiendo, ſine ullâ ab illis turbatione vel diſtractione à divino ſuo objecto.

Excluſio omnium aliorum & ad ſolum Deum attentio.

Qualis animæ in Deo occupatio.

Porrò interna hæc nobiliorum potentiarum in Deo occupatio nihil videtur eſſe aliud, quàm introverſa, intima, & attentiſſima contemplatio Divinitatis ſecundùm ſe, ſeu abſtrahendo ab attributis vel diſtinctis notionibus, nihil diſtinctè repræſentando, quam proptereà ſæpè hoc ſenſu voco informem Divinitatis Eſſentiam, circà quam ſinè ullâ diſtinctâ notitiâ mens tunc intimè verſatur, comitante, ſeu indè reſultante ſimplici in Deum amoris affectu, ſuavi & amoroſâ complacentiâ, ſeu ſaturitate, ac intimâ anhelatione, ut anima in Deo ſic abſorpta maneat; in quem finem tunc ad nihil aliud attendit, ſed inclinatur ad quævis alia objecta per ſuavem extruſionem excludenda & ſic unicè Deo vacandum, totis viribus, & totâ attentione informi, incircumſcripto, infinito bono adhærendo, in illo cum quadam ſatietate quieſcendo, in illo ſe totam abſorbendo, amoroſè immergendo, ſuaviter reſpirando, & fruitivè ſe in illo habendo.

Cur hic Deus dicatur informis.

Intima in Deo occupatio quomodò reddat abnegationem facilem.

Hæc ſpecies orationis ſervit animæ pro præparatione & diſpoſitione, pro nutrimento & ſuavi ac efficaci illecebrâ, ſeu allectione ad voluntariam & aſſiduam abnegationem ſeu mortem amoris; utpotè cum ſic ſit diſpoſita, ut ei quaſi ampliùs non lubeat in aliquâ aliâ re extrà Deum vivere; imò omnia alia præter Deum ei ſunt tædio, nec experitur ampliùs aliquam adhæſivam ad ſe vel alia converſionem, & conſequenter ſui-ipſius abnegatio, ac omnium, quæ Deus non ſunt, abdicatio propter Deum, jam ipſi fit facilis, ſuavis & deſiderabilis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT X.

Abnegatio, ſeu mors amoris eſt continua mortificatio totius hominis ex puro amore Dei, qui urget animam, ad ſenſus & interiores potentias mortificandas, & iſtam mortificationem exequitur; docet etiam libenter carere omnibus, quæ Deus non ſunt, omnia incommoda, injurias &c. ſuaviter ſuſtinere, in omnibus mori, & in ſolo Deo vivere.

VT pergamus docere myſticam mortem, ſeu totalem ſui abnegationem, &c. Sciendum imprimis, quod mors amoris nihil ſit aliud, quàm aſſidua mortificatio hominis interioris & exterioris in ſpiritu divini amoris, ſeu ſecundùm exigentiam ſinceræ vitæ internæ, n. ex purâ, defecatâ & perfectâ dilectione Dei, abſque mixtione alterius motivi; ita ut hæc dilectio ſola, & nulla alia ratio ad hoc nos excitet & urgeat, ut cum Apoſtolo dicere liceat, *Charitas Chriſti urget nos.* (Mors amoris eſt continua mortificatio totius hominis ex amore Dei. — 2. Cor. 5. 14.)

Vis ulterius ſcire, quomodò hoc practicandum ſit? ſuppono nos hic agere de animabus, quæ Deum continuò præ oculis habere ſatagunt, eique in omnibus agendis & omittendis unicè placere, & ab omnibus, quæ illi diſplicere poſſent, abſtinere deſiderant: hoc ſuppoſito.

In talibus praxis ſic ſe habet; oblatâ occaſione aliquid reſpiciendi, audiendi, inquirendi, olfaciendi, &c. anima oculo amoroſo ad Dilectum ſuum converſo, non multiplicando alias cogitationes, debet abſtinere à reſpiciendo, audiendo, inquirendo, olfaciendo, &c. ex ejus amore, dum illud non eſt neceſſarium vel utile; & quandò Dei amor eſt tener & perfectus, illicò animæ innuit, an tale quid ſit utile, aut neceſſarium, vel non; ſi non; requirit ab animâ, ut in eo ſenſus ſuos mortificet, ut non reſpiciat, non inquirat, non auſcultet, &c. atque hoc ſenſu in eo moriatur propter Dilectum, imò animam ad hoc urget, oſtendens hoc ſic decere, & ipſemet hanc mortem imperat & exercet in animâ; quæ dum eſt fidelis, tantùm indigit minimo nutu ſeu inſtinctu amoris, & ſtatim libenter talem mortem acceptat cum ſuavi cordis jubilo, & amoroſâ reflexione ad Dilectum ſuum. (Praxis mortis amoris. — Illum Dei amor exequitur.)

Idem eſt in aliquâ incommoditate ſuſtinendâ, in carendo aliqua re ſenſibus, ſivè phantaſiæ & appetitui ſenſitivo, ſivè memoriæ, intellectui, (Amor Dei ſuadet libenter carere)

Digitized by Google

omni recreatione, & adverſa pati.

voluntati, grata, ne phantaſiam aliquâ curioſitate paſcat, ſenſualitati indulgeat, ne impertinentia cogitet, ut propriæ voluntati renunciet, ad diſcurſus inutiles non reſpondeat, vel attendat; ſimiliter in moleſtijs, paſſionibus, contrarijs aliorum humoribus, obloquijs, injurijs, contumelijs, detractionibus, injuſtis oppoſitionibus, irriſionibus, &c. ſufferendis; nam amor Dei poſtulat, ut anima purè Deum intendens omnia iſta, & ſingula, datâ occaſione, tranquillâ mente patiatur, in illis libentiſſimè propter Dilectum tot mortes ſubeundo, ſeu tot actus abnegationis exercendo, quot habet obvias occaſiones, ſuas malas inclinationes mortificandi, paſſiones refrænandi, naturæ impetus compeſcendi; phantaſiam, memoriam, intellectum, voluntatem reprimendi ab omnibus rebus non Deiformibus aut divinis; & conſequenter tot mortes amoris in omnibus ſenſibus & potentijs exercendo, quot habet occaſiones, eorum naturales & non Deiformes operationes (in quibus vita ſecunda conſiſtit) impediendi, vel ſuſpendendi in omnibus, quæ Deo non placent, vel ad Deum non conducunt; quid enim hoc eſt aliud, quàm omnibus animæ potentijs auferre vitam noxiam, & inferre mortem, ſeu ſeparationem ab omnibus, in quibus extrà Deum vivebant? quod ſi anima illis potentijs ſolum permittat vitam ſecundam, ſeu vitales operationes in rebus ſeu objectis Deiformibus, quid hoc eſt aliud, quàm velle, ut in ſolo Deo vivant vitam divinam & Deiformem?

Captat occaſiones mortificandi omnes animæ potentias.

Ut in ſolo Deo vivant.

CAPUT XI.

Pauci aſſequuntur perfectam abnegationem ex puro amore, cuius defectu omnes operationes ſunt naturales; Deo ſerviendum eſt conformiter lumini accepto, ſub directione & imperio Charitatis, ad quod efficaces gratiæ poſtulandæ.

Pauci ad jugem mortem amoris ſe tradunt.

Ex dictis colligere licet, 1. multo labore conſtare debere, antequàm anima ad hanc aſſiduam abnegationem poſſit pervenire; 2. pauciſſimos reperiri, qui ſe ad perfectam & generalem mortem amoris volunt reſolvere & conſecrare; ad hoc enim eſt opus inſigni & ardente Charitate Dei, quæ animam urgeat, nec quietam relinquat, donec in omnibus ſic libenter moriatur; 3. quod mortificationem modo dicto exercere proprium ſit omnibus vitæ internæ profeſſoribus, ut qui vi ſuæ vocationis teneantur in amore Dei excellere, cum jugis eorum converſatio debeat eſſe cum Deo per fidem & dilectionem.

Mors amoris internis propria.

Plures

Plures quidem agunt de neceſſitate mortificationis, ſed ex alijs motivis; pro ut ſolebant antiqui Philoſophi, & modò adhuc faciunt ſedati, benè morigerati, & ex naturâ benè compoſiti homines, tum Chriſtiani, tum Hæretici, Turcæ, vel Gentiles, verùm quibus vita myſtica cordi eſt, debent mortificationem exercere in Spiritu amoris Dei, qui ſolus in illis vult vivere, omnia imperare, omnia operari, omnia dirigere.

Hic jam anima bonæ voluntatis ſeipſam poterit diſcutere, quomodò ſeſe in hoc hactenùs geſſerit; quia verendum eſt, multos in hoc deficere, eo quòd debeant fateri ſe hactenùs fuiſſe valdè negligentes in exercendo amore Dei, ac ſe conformando ejus imperio, inſtinctui & directioni; fortè etiam deprehendent ſeſe nimis fuiſſe ocioſi cordis in adorando Deo in Spiritu; ex quo defectu venit, quod in pleriſque ſuis cogitationibus, dictis & factis ſint nimis naturales, quod etiam in oratione falſo ocio plerumque locum dederint, ſinè debitâ ſollicitudine & diligentiâ, ut mentem in Deo elevatam, & occupatam tenerent, parùm ſolliciti retrahere phantaſiam ſuam ab objectis vilioribus, vel etiam eam ad ſenſualia objecta ſinendo fluere. *Pauci ſubjecti imperio amoris.*

O quàm multæ imperfectiones hinc oriuntur in multis animabus contrà requiſitam in illis cordis munditiem; quæ meritò debent timere, ne Deus paulatim ſuam eis ſubtrahat gratiam, niſi liberiorem Spiritui Charitatis dent locum, & ſolitas negligentias corrigant; præſertim eò quod non vivant juxtà lumen, quo ſæpè fuerunt præventi; atque ideò licet earum conſcientia non accuſet de magnis peccatis, meritò tamen timeant, ne ſenſim gratia Dei deſtituantur, eò quod Deo non ſerviant cum ea perfectione, puritate & dilectione, in quibus ab eis ſibi ſerviri deſiderat. *Indè plurimæ imperfectiones.* *Periculum gratiam Dei amittendi.*

Quandò anima bonæ voluntatis ſuam in his fragilitatem, & imperfectionem ità agnoſcit, non inconſultò ſuas amoroſas lamentationes faciet apud Dilectum, & in ſinu Matris amabilis, obnixè ſupplicando in iſtum finem, ut Dilectus ſe illi paulò clariùs dignetur manifeſtare, ac omnes ejus cogitationes & affectiones ad ſe & ad Matrem amabilem efficaciter allicere, non ſinendo ad alia evagari; conſultò igitur cor ſuum coram eis effundet, amoroſè lamentando, quod experiatur ſe flaccidam, diſtractam, malè inclinatam, defectu ſpecialis & efficacioris tractûs, ideò ſæpè orat cum Sponſâ, *trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum*, vel cum Regio Prophetâ, *illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum*; manifeſta te ipſum mihi, quatenus omnis mea cogitatio, omnis amor, & affectio ad te ſolum & ad Matrem tuam ſuper-amabilem tendant, & terminentur. *Orandus Deus pro gratiâ.* *Cant. 1. 3.* *Pſalm. 30, 17.*

CAPUT XII.

Corrupta natura obnubilat ſpiritum, itâ ut anima malum ægrè videat; in quo tamen diſcit praxim abnegationis, pergens quaſi cæco modo cum voluntariâ carentiâ majoris luminis; in hoc equidem nonnihil affligitur; quod ei ſervit pro agoniâ amoris.

Corrupta natura obſcurat Spiritum.

ETſi anima devota ſecundùm ſpiritum libenter viveret; tamen non rarò in eâ invaleſcit natura quæ ſpiritum obnubilat, itâ ut inire debeat duram luctam cum parte ſenſitivâ; imò aliquandò vix videtur habere averſionem à malo, cùm illud vix apprehendat, & illi ferè ſubindè incidat admiratio, cur Deus hoc vel illud, ad quod natura propendet, tam ſtrictè prohibuerit; Idem eſt de alijs inclinationibus ad aliqua naturalia; cum aliquali admiratione, cur ſimilia non liceant: hoc provenit ex ebullitione corruptæ naturæ, ſeu ex evaporatione fomitis peccati; verùm anima, cui cordi eſt jugis mors amoris, ſeu vera abnegatio, de quâ jam agere cœpimus, circà ſimilia ſubindè illuminatur, n. quod etiam in tali ariditate & obnubilatione ſpiritûs, etiam debeat exercere abnegationem ſeu mortem myſticam, contenta ſcire, quod Deus hoc vel illud inhibuerit, quod hoc vel illud non ſit tutius, ſed periculo ſenſualitatis obnoxium, quod ſimilia à viris doctis & timoratis ut mala reputentur, vel ſint inſolita; licet in illis non videat apertum malum, aut non penetret rationem, quarè ſint mala & prohibita; ſiquidem, dum amor Dei in anima eſt radicatus, & anima bonæ voluntatis, ipſa ſtatim captivat phantaſiam & intellectum in obſequium fidei, ſatis eſſe rata, quod ſciat illa non eſſe licita, vel non eſſe tutiora & perfectiora.

Mors amoris in ariditate exercenda.

In abnegatione majoris gratiæ.

De cætero, cæcè in his procedit, non exquirendo majus lumen, quo malum videat, aut penetret rationem, quarè ſit malum aut vetitum; in hoc enim etiam exercet abnegationem, libenter carendo iſto lumine, & voluntariè manendo in tali caligine mentis, quamdiù Deo placuerit, etiamſi pro ſemper; idque ex ſincero amore, qui non ſinit ad alia reflectere, vel in ullâ aliâ re delectari vel ſibi complacere, quàm in ſolo Deo.

Dolor animæ ob naturæ corruptionem.

Verùmtamen hoc in animâ amoroſâ eſſe non poteſt ſinè magno dolore, & timore etiam à ſeipsâ; nam tunc videtur natura iterùm reviviſcere, phantaſia agit ſuas partes, appetitus ſenſitivus malè inclinatur, & potentiæ

Digitized by Google

tiæ rationales per naturæ vivacitatem multùm obſcurantur, ità ut mala, eorumque pericula ægrè apprehendat, aut percipere valeat, quin potiùs econtrà, ei imprimuntur rationes veriſimiles, quarè hîc & nunc in iſtis non videatur latere malum; ſolummodò ſpiritus retinet aliquam rationabilem, non ſenſitivam reflexionem, quod tale quid ſit malum vel periculoſum, nolendo ſcire rationem, quarè; atque in voluntariâ carentiâ hujus ſcientiæ, & ſimul in iſta ſuſtinentiâ internæ caliginis, & malæ propenſionis, abſque ulla à Dei placito deviatione, ex puro ejus amore, conſiſtit tunc agonia, & mors amoris, ſuivè perfecta abnegatio.

Obſcuratio ſpiritûs.

Agonia amoris.

CAPUT XIII.

Quò anima magis proficit in gratiâ, eò clariùs vidit, in quibus mors amoris exercenda ſit: benè vivere in ordine ad nihil patiendum, & bonis fruendum, eſt mixtum proprio amore, qui ubique ſubtiliter ſe ingerit, & propriæ vitæ pabulum quærit, etiam in Deo; in moriendo & vivendo in Deo, etiam quærit ſeipſum ut finem ultimum.

QUandò Deus vult animam allicere ad aſſiduam mortem amoris, illi continuò infundit majus & majus lumen, quo ei detegat, in quibus poſſit & debeat exercere abnegationem; undè dum credit ſeſe jam benè abnegatam & ſibi mortuam, ei oſtendit, quod adhuc vivat in multis; conſequenter illi incidit, quod quidem ſeſe ad continuam mortem & abnegationem tradiderit, ſed quod omnia ejus exercitia nihil ſint aliud, quàm conatus & deſiderium manendi in vivis, eo quod ſemper aliquid quærat, & ad aliquid anhelet, n. ad quietem, introtractionem, intimas Dei inoperationes, illuminationes, cognitiones, perceptibiles tractus amoris & ſimilia.

Lumen ad videndam materiam abnegationis.

Natura conatur vivere in omnibus.

Hic diſcit anima, quod tantùm velit mori conformiter ad ſuam phantaſiam, & implicitum proprij amoris placitum, non verò abſolutè in omnibus, quæ Deus non ſunt; inſtruitur etiam, quod ſuam mortem videatur dirigere ad propriam vitam, ad proprium intereſſe, exonerationem &c. v. g. ut ſic emundetur ab omni eo, quod eſſet materia purgatorij, ut in inſtanti mortis rectà evolet ad cælum; in quo adhuc magnum locum tenet amor proprius, & reflexio ad ſeipſam; deprehendit ſe deinceps perfectioni velle intendere, ne à morte præproperâ obruatur exiſtens in mul-

Ordinat etiam mortem ad ſuam vitam.

Propria quæſitio ſubtilis.

Digitized by Google

tis immunditijs & imperfectionibus, propter quas poſtmodùm multa deberet ſuſtinere; in quo propria quæſitio adhuc plurimùm colludit; ità ut necdum appareat initium ſpiritualiter moriendi, ſed potiùs meliùs in ſeipſâ vivendi; ex quo ulteriùs clarè videt, ſeſe nondùm debitè & ſeriò ingreſſam eſſe viam perfectæ Charitatis Dei.

Perfectior mors amoris quærenda.

Quid ergò facto opus, ut talis anima meliùs mori diſcat? ei advigilandum eſt, ut omnes illas reflexiones, prætenſiones, deſideria, anhelationes, impetuoſitates cum reflexione ad ſeipſam in tempore & æternitate, dimittat, ſeſe ſinè ullâ propriâ prætenſione, intentione, voluntate, anhelatione, propoſito, divinæ Providentiæ committendo, ſeſe totaliter in ejus voluntate reſignando, ipſum ſinendo ſecum agere, non ſecundùm proprium videri, vel malle, ſed ſecundùm merum Dei beneplacitum, nihil præter hoc in omnibus agendis & omittendis intendendo vel deſiderando; atque hæc eſt perfectiſſima mors, ſeu ſui abnegatio, quàm pauciſſimi poſſunt vel volunt intelligere, vel cordi habere; etenim natura & ſpiritus continuò quærunt vivere, & vitæ ſigna in ſe invenire; alioqui inquietantur, quaſi non benè ſecum ageretur: at quis talem animam ad mortem tam perfectam perducet? Dilectus ejus eam in ipsâ operari debet, alioqui ad eam nunquam pertinget.

Vita in ſolo Deo quærenda.

Natura in omnibus vult vivere.

O quàm ſubtilis eſt amor proprius! eſt illi perindè, in quâ re vitam inveniat, etſi foret in Deo ipſo, modò ibi habeat ſuam ſatisfactionem & fomentum; ſinit ſe perſuaderi, ut moriatur rebus ſenſualibus, imò etiam ſpiritualibus, ità tamen ut ſemper ad ſeipſum oculum teneat apertum etiam in ipſo Deo, & omne mori, imò etiam vivere in Deo, ſubtiliter ad ſe trahit; & quandò anima Deum intendit, ut ſuum ultimum finem, ibi ſe miſcet amor proprius, & ſatagit illum ultimum finem ad ſeipſum inflectere, ut in tempore & æternitate ſibi benè ſit, ut ab omni malo ſit immunis, & ſemper poſſit fæliciter vivere; atque ità ſeipſum ſtatuit quaſi pro fine ultimato, ad quem omnia, etiam ipſum Deum, dirigere nititur, & ſic quodammodò de ſe facit idolum: ex quo patet, quam difficulter ſubtiles proprij amoris inventiones detegere, & effugere quis poſſit.

Amor proprius vivere conatur etiam in Deo.

Se intendit ut ultimum finem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Nos totos Deo committere oportet, nec propter noſtram fragilitatem fieri puſillanimes, per activam annihilationem nos in ariditate juvare, in derelictione non conqueri; ex puro Dei amore, omni ſenſibili gratia libenter carere; quo modo amor debeat nos in omnibus juvare mori.

CONſideratio tot ſubtilium & occultarum quæſitionum propriarum, & inſidiarum ac adinventionum proprij amoris ſubindè puſillanimitatem ſuaderet, quaſi nos ab illis numquam extricare poſſemus; verùm hoc ipſum nobis ſervire debet pro materia mortis amoris, & totalis in Deum abjectionis, ipſi nos cum indifferentiâ committendo, an ad tam perfectam abnegationem perveniemus, an non, abſque eo, quod prætendamus, vel non prætendamus, ſed hoc relinquendo in divinâ providentiâ, & cæcè in eo procedendo, ſemper bonâ fide faciendo, quod in nobis eſt, intentiones noſtras ubique purificando, & continuò magis ab omni propriâ reflexione defæcando, ac de cætero omnem curam noſtram ſuper Dominum jactando. *Totalis ſui in Deum reſignatio.*

Conſequenter dum nos in oratione, ſub ſacro, in divino officio, vel aliter, invenimus ſinè ſpeciali inoperatione, nos ipſos ab omni prætenſione, anhelatione, deſiderio, reflexione exinanire oportet per annihilationem activam, & nos in Deo relinquere, ejuſque providentiæ nos totaliter committere, ſinè exceptione vel electione ullius rei; quod faciendo facilè deveniemus ad magnam animi quietem & tranquillitatem. *Mors amoris in ſtatu derelictionis.*

Si fortè contingat nos in oratione eſſe planè aridos, malè diſpoſitos, ac in devotione inſenſibiles, libenter conquereremur; ſed illicò in memoriam revocanda eſt noſtra reſolutio deinceps nos tradendi morti amoris, ac nos ipſos ac omnia alia abnegandi, ac nos totos Deo reſignandi; quocircà illud propoſitum in hac occaſione ſervandum eſt, ut actualiter in his nos abnegemus, & mortem amoris exerceamus, hoc modo; amor Dei nos urgeat, an non propter Deum libenter careamus omni lumine, ſolatio, perceptibili compunctione, contritione, ſenſibili devotione, certitudine, quod Deo placeamus, aſſecuratione de minori deinceps fragilitate, ſenſibili averſione ab omni ſenſualitatis objecto, & peccato; Item an non libenter propter Dilectum, careamus omni quiete, intimitate, ſomno amoris, introtractione, ſimplificatione, & tractu dilectionis, &c. at- *Sinè lamentatione.* *Amor Dei urget mortem in ſpiritualibus.*

que

que tunc advertentes nos eſſe captos in noſtrâ reſolutione, & conſiderantes, quod omnes iſtæ gratiæ ſenſibiles non ſint Deus, oportet dare manus vinculis amoris, qui etiam abſque morâ ſententiam mortis ſeu abnegationis exequi debet, cogendo nos, id eſt, proprium amorem, adhæſivum affectum, deſiderium, anhelationem, mori omnibus illis, ſeu ab illis avertere & ſeparare, omniaque abnegare amore Dilecti; ſeu quia Dilecto placet, nos in tali carentiâ & derelictione conſtituere; atque in hâc voluntariâ carentiâ & abnegatione conſiſtit mors amoris.

Dat & exequitur ſententiam mortis.

Praxis mortis amoris.

Itàque libenter nos in hoc conformare debemus, & voluntariè manere in carentiâ omnium, cum amoroſâ ad Deum reflexione, manendo ſic cum ſuavi & ſimplici ad ipſum converſione, vel ad Matrem amabilem (ad quam etiam mortem amoris dirigere licet) partim non audendo conqueri, aut aliquid pro ſatisfactione propriâ poſtulare, ſed potiùs econtrà omnia abdicando, & libenter pro amore Dei & Matris amabilis carendo, ac ſic quieti manendo, ſolâ informi Divinitatis Eſſentiâ benè contenti; partim animo humiliato ingenuè agnoſcendo noſtram nihileitatem, indignitatem, paupertatem, ſinè ullius rei prætenſione in tempore & æternitate.

Amore Dei & Mariæ.

CAPUT XV.

Modus internæ orationis in ſtatu abnegationis, per reſpirationem in Deo: quomodò in deſiderio majoris gratiæ ſeipſum abnegare oporteat; ſimiliter in ſpe magni profectûs in oratione, vel econtrà in timore deficientiæ; ubique irrepit propria quæſitio: reſpiratio in Deo fit vel paſſivè vel activè.

Praxis orationis in ſtatu abnegationis.

Vis ſcire, qualis modus internæ orationis conveniat in ſtatu abnegationis; diſce hunc, anima ponit ſe in ſimplici intuitu incircumſcriptæ,& informis Eſſentiæ Dei,fovendo hunc intuitum per aſpirationes non rudi modo, vel per modum orationum jaculatoriarum, ſed pro ut ſonat dictio *aſpiratio*, id eſt, ſpiratio ad aliquid, ità ut ad divinam Eſſentiam ſolummodò quaſi ſpiret velut ad aërem, in quo per halitus reſumptionem vivere debet: hæc aſpiratio continet in ſe actum fidei, in quantum eſt intuitus ad Deum, & ut ſic, eſt in intellectu, & actum inclinationis, ſeu mentis acclinationis ad apprehendendum, ſeu fruendum, & ſic eſt in voluntate; ex quo patet animam tunc non eſſe ocioſam, ſed nobiliter in Deo occupatam.

Aſpiratio in Deo.

Eſt actus intellectus & voluntatis.

Hanc

Digitized by Google

Hanc aſpirationem aliquandò comitatur alius actus, puto, reverentiæ, adorationis, amoris, oblationis &c; ſed hoc totum per modum tranſeuntis, ſuaviter in fundo animæ, nullibi ſiſtendo; atque ità anima manet quieta, tranquilla, in ſe pacificata, & idonea, ut det locum divinis inoperationibus. Fovetur alijs actibus.

Dum ebullit anhelatio ad ſpecialem tractum Dei, vel deſiderium divinæ illuminationis, ferventis Charitatis, amplioris gratiæ, &c. illicò animæ abnegatio circà iſta omnia exercenda eſt, reflexio ab illis divertenda, & omnia inadvertenter prætereunda, quaſi ad ipſam non ſpectarent, aut ei non convenirent; atque hoc ſenſu, illis omnibus ex amore Dei moriendum eſt, id eſt, adhæſiva ad illa reflexio, & reflexiva adhæſio ex propriâ quæſitione pullulare nata impedienda eſt, ſolius Divinitatis amoroſo intuitu immorando, & ad Dei dona non attendendo. Fervor ſpiritûs abneganda.

Si fortè occaſione talis in Deo occupationis ſeu internæ orationis, anima ſibi affulgere ſentiat ſpem, per illam tamquàm per opportunum medium multùm proficiendi in ſpiritu, quod ſic aſſequetur familiarem in Deum ingreſſum, deſiderabiles illuminationes, & gratias extraordinarias, tunc debet hanc ſpem dimittere, non fovere, ſine voluntariâ advertentiâ tranſire; alioqui enim rurſus ad ſeipſam oculum converteret, cum periculo ſibi-ipſi in illâ ſpe vanè complacendi, & propriæ ſatisfactioni locum dandi; cum tamen jam ſeſe tradiderit ad continuam mortem, abnegationem, & totalis à ſeipsâ exitûs, nolendo ulli alteri rei intendere, niſi nudæ Eſſentiæ Dei, ejuſque amori & beneplacito; ſivè hoc conſiſtat, ſivè vergat ad magnam animæ in omni perfectione promotionem, ſivè non; quocircà dum anima talem ſpem experitur, eam ſtatim ex amore Dei abnegare, ſeu propriam complacentiam ab eâ retrahere, & hoc ſenſu illi mori debet, ſinendo eam in ſe conſumi, evaneſcere, non attrahendo; indubiè enim talis ſpes plerumque à proprio amore ſuggeritur, & eidem ſerviret pro nutrimento, ſi illi locus pateret; & conſequenter animam à morte amoris impediret, ad quam tamen jam ſe condemnavit. Spes abneganda. Quo modo. Ex amore Dei.

Si econtrà animæ ob oculos verſetur ſua in bono inſtabilitas, in exercitio virtutis, vel orationis inconſtantia; ità ut ei incidat timor, quaſi omnia ejus negocia nihil valerent; tunc debet ſimiliter illum timorem abnegare, & ad illam inſtabilitatem non attendere, in quantum per illam proprium intereſſe pateretur, ſed ſolùm in quantum Dilecto diſpliceret, atque hoc ſenſu iſti timori intuitu Dilecti moriendum eſt, ab omni proprio incommodo ex tali inſtabilitate oriundo oculum divertendo, & ad Dei diſplicentiam in illâ cavendam dumtaxat convertendo. Abnegatio in timore Dei.

Notandum tamen, quod animæ ſpeciali Dei tractu vel inoperatione non præventæ vitandum ſit malum ocium; ſed ſeſe juvare debeat, per oratio- Vitandum malum ocium.

Digitized by Google

nem aſpirativam, uti tactum eſt; hæc autem oratio dupliciter fieri poteſt, n. vel paſſivè, dum anima per internum tractum in Deo quaſi abſorpta, in ipſo & ad ipſum, quaſi ultrò & ſponte fluente inclinatione, amorosè aſpirat; vel magis activè, dum anima nullam ſimilem Dei in ſe operationem ſeu tractum ſentiens equidem toto conatu talem in Deo aſpirationem exercere ſatagit, per aliquos actus adorationis vel humiliationis, vel reſignationis, vel dilectionis, vel abnegationis &c, ſecundum quod ſe experitur diſpoſitam.

Oratio aſpirativa.

CAPUT XVI.

Non obſtante noſtrâ inſtabilitate, confidenter procedendum eſt; Deus ſubindè ſubtrahit gratias ſenſibiles, ut probet noſtram fidelitatem; gaudet videre tunc noſtros conatus; terret nos, ne ociemur; ſuffulcit nos gratiâ corroborante, ne cadamus.

Semper pergendum cum fiduciâ.

QVamvis anima, ratione innatæ fragilitatis, magnam adhuc experiatur inſtabilitatem in exercendâ, in omni occaſione, morte amoris, tamen ſemper debet confidenter pergere; nam modò tantùm ſit bonæ voluntatis, Deus eam aliquandò præveniet in benedictionibus dulcedinis, illam conſolando, & confortando, quo ſic ejus fragilitatem prævertat; id quod ei debet ſervire pro illecebrâ à Dilecto oblatâ, ut fideliùs & ſinè timore proficiat in ſpiritu; imò exiſtimabit, ſibi novos addi animos, ex eo quod ei clarè videbitur demonſtrari, quod, non obſtante innatâ ſibi fragilitate, poſſit facilè omnibus, cum Dei gratiâ mederi, & omnia perfringere; eo quod clarè videat, ſeſe ambulare in viâ bonâ, illoſque defectus tantùm provenire ex merâ fragilitate, in quâ illi patientia habenda eſt.

Deus petit fidelitatem in conando.

Porrò in caſu exigui tractûs, dum eam Dilectus in ſuâ naturâ relinquere videtur, illi ſciendum eſt, quod Dilectus, ejus tunc fidelitatem probare deſideret, an ſcilicet ſibi parata ſit ſervire proprijs expenſis cum aliquo conatu & labore; quemadmodùm Mater aliqua filio, quem docet incedere, ſubindè ſubtrahit manum ductricem, & tantiſper recedit, ut videat, an filiolus ex ſeipſo etiam conabitur ſolus incedere, & ad ſuam Matrem redire; quem ſi fortè videat non conari, eum aliquo terriculamento exſtimulat ad conandum incedere, vel ad Matrem clamandum; neque Mater offenditur, ſi videat filiolum vix unum paſſum poſt alterum poſſe figere, aut etiam quaſi reptando, vel ſubinde cadendo, aut ceſpitando, vel muro aut

Vt Mater agit cum filiolo.

Eum docens incedere.

Digitized by Google

aut alicui alteri rei manus affigendo, ad Matrem niti; nam hæc omnia eam movent ad compaſſionem & tenerum amoris affectum; ipſi ſufficit, quod filiolum cernat anhelum ad Matrem, & nitentem pro poſſe incedere; quin imò ſciens eum apparenter in terram lapſurum, frontem illius cuſſinulo contrà lapſum munivit, ne lædatur.

Simili modo agit Deus etiam cum animâ ſibi electâ; cui ſubindè ſe nonnihil ſubtrahit, & manum adiutricem recuſare videtur, licet benè ſciat, eam abſque ſuo auxilio nihil poſſe facere; idque facit, ut ejus ergà ſe fidelitatem & amoris ſinceritatem probet, ut videat, an ad ipſum anhelabit, an pro viribus conabitur illi appropinquare & virtutes exercere, an alibi non quæret ſuum ſolatium extrà ipſum, an erit inquieta, donec requieſcat in ipſo ſolo, an ſibi ipſi diffidet, ſoli Dilecto confidens: quod ſi videat eam ocioſam, nec facientem, quod poteſt; aliquandò immittit ipſi terriculamentum aliquod, id eſt, aliquid, quod ſpiritum terreat, puta, vehementem tentationem ad carnalia, ad deſperationem; imprimit ipſi horrorem æternitatis, incertitudinem prædeſtinationis ad vitam æternam, quaſi non eſſet de numero Electorum &c; aliquandò permittit eam cadere in lutum alicujus notabilioris imperfectionis, inſtillando timorem, ne à ſerpente infernali paulatim circumveniatur, & tandem ſeriùs lamentari cogatur, *infixus ſum in limo profundi; in luto aquarum multarum, & tempeſtas demerſit me.*

Cur Deus animam videatur deſerere.

Vt eam probet.

Terret ut probet.

Verùm hæc omnia ex parte Dilecti, ſunt luſus amoris; ecce enim imprimis munivit caput illius contrà lapſum cuſſinulo gratiæ fortificantis, etſi non perceptibiliter conſolantis, ut à lapſu graviori, & læſione peccati ſaltem notabilis, maneat immunis; juxtà quod ſcriptum eſt, *cum ceciderit non collidetur, quoniam ſupponet Dominus manum ſuam*; Deindè id facit, ut animam reddat vigilantiorem, ut ipſa ad Dilectum ſuum affectuoſiùs ſuſpiret, clamet, lamentetur, anhelet, videns ſeſe ex ſe nihil habere, niſi malum; ſi eam facientem quod in ſe eſt, videat hinc indè defectu adducentis vel attrahentis manus, ſeu gratiæ fortioris, ceſpitare, vel in aliquas imperfectiones prolabi, nec tamen ideò ipſa deſinat omni modo meliori ſe ipſam juvare, innitendo baculis, & fulcris, vel ad murum tenendo, ne cadat, ut maneat ſtans, ut ſe erigat, ut ſaltem reptando, ſi non currendo, ad Dilectum perveniat, in iſtis omnibus Deus ſibi ſummoperè complacet; dum videt, inquam, animam in tali ſtatu derelictionis & ariditatis uti oratiunculis jaculatorijs, multiplicare bona deſideria, ad Paſſionem CHRISTI, ad Sanctam Crucem veluti ad fulcrum, ad ſinum Matris miſericordiæ, ad tutelam Angeli Cuſtodis &c. ardenter confugere, vel per ſupra-dictam aſpirationem activam ſe-ipſam juvare; modò hæc omnia fiant cum diffidentiâ ſui, & confidentiâ in Dilecto; qui per iſta omnia movetur ad compaſſionem, ad majorem dilectionem & benevolentiam,

Luſus amoris.

Gratia fortificans.

Pſal. 36. 24.

Deus probat animam ſinendo imperfectam.

Conatus animæ in derelictione.

Deus in eo delectatur.

dum n. advertit animam reciprocum ſuum amorem per talem fidelitatem comprobare, abſque eo, quod, animo volente, vel ex propoſito, maneat retrò, vel infixa maneat luto aquarum multarum, ſeu malarum inclinationum, vel ſe ad creaturas per reflexivam adhæſionem extrovertat.

CAPUT XVII.

Anima in ſtatu ariditatis, & internæ derelictionis, ſe ad illum reſignare debet, non extravertendo ſe ad Creaturas, ſed ad Deum convertendo per fidem, unicè quieſcendo in ejus beneplacito, nec licet ei ociari, prætextu, quod ei gratia deſit; nam gratia fortificans numquàm deficit, etſi deficiat ſenſibilis.

DEindè, ut propriè loquamur ad noſtrum propoſitum, de pertinentibus ad animas jam ad aſſiduam mortem amoris, ſeu totalem ſui abnegationem reſolutas; juxtà antedicta, dum nihil ſingulare in ſpiritu experiuntur; quin potiùs econtrà ſentiunt naturam, dictam mortem nolle intelligere, ſed in multis extrà Deum velle vivere, ſivè in ſenſualibus, ſivè in ſpiritualibus, & divinis; dum experiuntur naturam, quandò ſenſualibus & ſpiritualibus, & divinis carendum eſt, ad illa anhelare, ad illa niti, cum deſiderio in illis vivendi cum reflexione ad ſe-ipſas, cum timore, quod illis diu carere debebunt, ſicquè longo tempore manere ſinè benedictionibus dulcedinis, ſinè internâ conſolatione, illuminatione, perceptibili devotione, & ſenſibili amore &c. tunc debent hæc perſtringere generoſo actu fortis, etſi non ſenſibilis, dilectionis, ut illis omnibus libenter moriantur, ſeu omnem ad illa adhæſionem abſtrahant, voluntariè omnibus carendo, ac ad omnem incertitudinem ſe reſignando in divinâ Providentiâ pro tempore & æternitate.

In derelictione abnegatio exercenda.

Ex forti amore.

Intereà caveant ſibi tunc ullis rebus creatis adhærere vel immorari, aut ſuam in illis eſcam, aut conſolatiònem quærere vel capeſcere, aut ſe ad ullas creaturas extrovertere; quin potiùs tunc ſuam ergà informem & ſecundùm perceptibilitatem, abſentem, vel elongatum, vel eas quaſi reprobantem Dilectum ſuum, fidelitatem probare ſatagant, ne vel in minimo declinando ab eo, quod credunt illi aliqualiter placere; omnis etiam earum aſpiratio, anhelatio, gemitus &c. debent ad ipſum terminari, nulli

Non quærat ſolatium in creatis.

Sit fidelis.

Digitized by Google

nulli ocioſitati vel ſocordiæ locum dando; cavendo interim ab omni violentiâ, ſed cum magnâ moderatione, & ſuavitate ad Dilectum aſpirando, mentem acclinando, & reſpirando, vel etiam in ipſo per ſimplicem fidei intuitum, & conformem dilectionem, ac unà cum voluntariâ ſui reſignatione, cum plenâ ſui abnegatione, & quiete, in lectulo divini ejus beneplaciti, etſi jam videatur durus, & licet eorum intuitu ſic ſemper duraturus, manendo, ac quieſcendo. Aſpiret ad Deum.

Ad hoc illis proderit cogitare, ſeſe jam in conſortio Dilecti, in uno & eodem lectulo quieſcere; nam voluntas Patris cæleſtis erat, ut Salvator noſter ignominioſam Crucem ſuſtineret, omnimodam paupertatem experiretur, & extremam derelictionem ſpiritûs probaret, ad exemplum & ſolatium omnium animarum, in quibus talem diſpoſitionem permittere decrevit. Quieſcat in voluntate Dei.

Itaque tales animæ tum caveant ſibi ab ocioſitate malâ, prætextu, quod cruciatis, ſic dicam, brachijs, tractum Dei exſpectent, vel quod tunc ſint deſtitutæ internâ Dei operatione, ſinè quâ exiſtimant ſe nihil prorſus poſſe facere; ſciant enim, quod tractus Dilecti, de quo hic agimus, & quem ſe non experiri lamentantur, ſolummodò ſit calcar, extraordinaria illecebra, perceptibilis tractus amoris, manus fortior, amicabilis invitatio & amplexus Dilecti, quibus dignatur ſuos Electos prævenire, quandò ipſi placet, quos placet & quantum placet; ſinè quibus tamen in juſtis ſemper adſunt gratiæ fortificantes & cooperantes, ſemper paratæ cum illis concurrere in occupationibus, in externis vel internis exercitijs, uniuſcujuſque ſtatum decentibus, ac in omni, quantumvis miſerâ ſpiritûs diſpoſitione. Cavendum ocium malum. Cooperandum gratiæ ordinariæ, quæ ſemper adeſt.

Porrò quantum ad animas, de quibus hic agimus, & quæ faciunt profeſſionem vitæ totaliter abnegatæ, in Deum reſignatæ, & amoroſæ mortis naturæ & ſpiritûs, illis debent ſervire exercitia aſpirationum, voluntariæ abnegationis, patientiæ Chriſtianæ & exſpirationis in Deo; idque amore Dilecti in Deo, id eſt, cum ſuavi & amoroſâ mentis acclinatione in divinâ Eſſentiâ ad eamdem. Exercitia animæ abnegatæ in derelictione.

CAPUT XVIII.

Anima abnegata Dilecto ſuo vacare debet ſinè intentione proprij intereſſe, cum renunciatione omnis ſenſibilis gratiæ, cum abnegatione omnis aſſecurationis divini in ſe beneplaciti; & omnis propriæ complacentiæ in Deo, vel aliâ re, ſe totam committendo divinæ circà ſe & alia Providentiæ in tempore & æternitate: quomodò oret pro alijs.

Exercitia animæ abnegatæ.

OCcupatio talium animarum, ſivè in oratione, ſivè in alijs, eſt continua executio iſtius mortis amoris, ſuavis aſpiratio, amoroſa ſufferentia, & ſui ad jugiter ſic pro Dilecto moriendum immolatio, cum dulci & amicabili introverſione, vel ſui applicatione ſeu inclinatione ad ipſum: ordinariè tunc comitantur multæ illuſtrationes conducentes ad purum amorem Dilecti, abſque reflexione ad ſeipſas, ad nihil aliud anhelando, nihil deſiderando, niſi aſſiduè mori amore Dilecti.

Praxis abnegationis.

Et etiam hæc anhelatio, hoc deſiderium non fit ſinè actuali abnegatione, & influentiâ in Dilectum; quod quidem videtur aliqualiter activè fieri, ſed non ità, pro ut verba ſonant; fit enim modo mortificato, ſeu magis paſſivè, aliquo modo tamen vividè, non intimè: neque indè anima laſſatur; nam quaſi ſponte ab intùs omnia ebulliunt à tranquillo amore intùs operante.

In carentiâ ſenſibilis contritionis.

Quandò talis anima ſe præparat ad Confeſſionem, nec pro voto poteſt elicere ſenſibilem dolorem, ſed tantùm rationalem cum ſimili propoſito emendationis, non audet alium dolorem deſiderare, ſed in hoc exercet mortem amoris propter Dilectum, cum ſuavi ad ipſum converſione & voluntariâ carentiâ ejuſdem & omnium, quæ illi aliquam certitudinem aut fulcimentum adferre poſſent; quamquàm hæc mors amoris ſeu abnegatio non ſit ſinè eſſentiali & cordiali fiduciâ, quam ſic voco, quià exercetur, ſicut & aliæ virtutes, abſque ullâ ferè ad illam reflexione vel perceptione.

Quid virtus eſſentialis.

Abnegatio in ſpe majoris gratiæ.

Si tunc fortaſſis animæ occurrat, quod hæc conſtitutio ſit valdè idonea diſpoſitio, ad majorem perfectionem, ad raras illuminationes, ad amoroſas liquefactiones, &c. hoc totum tunc ſumit pro materiâ abnegationis, & mortis amoris pro Dilecto, mortificando omne ad iſta deſiderium, & unà omnem prætenſionem ac reflexionem ad ſeipſam, vel ad aliquid tendens ad proprium intereſſe.

Idem

Digitized by Google

In certitudine amicitiæ Dei.

Idem eſt, dum illi incidit, quod hoc ſtudium totalis abnegationis ipſi ſit ſignum ſatis certum puræ ſuæ ergà Dilectum dilectionis, & reciprocæ Dilecti dilectionis ad ipſam; hæc enim reflexio rurſus eſt materia mortis amoris, animæ fideli, quæ proindè ſuam reflexionem ab illis avertens & illud aliqualis aſſecurationis ſignum & propriam in illo ſigno complacentiam inadvertenter præteriens, ſicque abnegans, omnem ſuam curam jactat ſuper Dilectum, ſeque totam in illum abjicit & reſignat ad omnia, quæ divina Providentia de eâ diſpoſuit in tempore & æternitate, ſinè deſiderio hæc ſciendi;

Abjectio ſui in Deum.

Atque hic eſt actus extremæ abnegationis ſui-ipſius, & omnium, quæ illis ſervire poſſent ad propriam utilitatem vel jacturam in tempore & æternitate, nil aliud præ oculis habendo, niſi ſolum Dei beneplacitum circà ipſam & omnia ipſam concernentia in tempore & æternitate; undè patet, quod talis anima ſeſe totaliter abnegaverit, mortificaverit, noſſe recuſet, & actu moriatur omnibus, ſeu affectum proprium abſtrahat ab omnibus, in quibus aliquam complacentiam, propriam ſatisfactionem, adhæſionem, ſecuritatem, & hoc ſenſu, vitam poſſet invenire, vel habere; idque totum cum plenariâ ſui relictione & jactatione in Deum, ejus amore, & ex deſiderio deincèps in ipſo ſolo vivendi in ſempiternum.

Extrema abnegatio.

Quomodò anima abnegata oret pro alijs.

Hæc tamen anima, dum movetur ad orandum pro alijs, præſertim ignotis, v. g. pro agonizantibus, vel de æternitate periclitantibus, vel pro animabus Purgatorij, poteſt id præſtare ſinè vitâ propriâ, ſinè propriâ quæſitione, &c. eò quod ibi non miſceat aliquam reflexionem ad ſeipſam, vel ad proprium intereſſe, ſed ſolummodò ex Zelo ad laudem Dei, quatenùs iſtæ animæ, pro quibus orat, diligant, laudent, & cum gratiarum actionibus exaltent eum in æternùm, nec diutiùs ab iſtâ gratiarum actione, laude & amore retardentur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Quomodò anima abnegata ſe gerere debeat in ſenſitivis tentationibus; per fidem eas annihilando & ad Deum ſe convertendo, ei offerendo carentiam voluptatis; vel eas Dei amore patiendo, quàmdiu ipſi placuerit; non ex timore pœnæ, vel ſpe præmij: ſimile eſt in alijs tentationibus, morbis, &c.

Abnegatio in ſenſitivis tentationibus.

QUantum ad hactenùs dicta de morte amoris, eam anima abnegata etiam debet exercere in omnis generis ſenſitivis tentationibus, puta, carnalium & ſenſualium inclinationum vel ſimilibus, conando eaſdem forti fidei oculo annihilare, &, quandò ſunt valdè vivaces, vehementes, & ſenſibiles, quaſi lamentabundo aſpectu ad Dilectum, mortificare, imaginationem & ſenſuales motiones, aut inclinationes ab illis divertendo, & carentiam ſeu abſtinentiam omnium, quæ corruptæ naturæ & ſenſualitati arridere poſſent, ex puro amore, Deo offerendo, cum amoroſâ expoſtulatione, quod adhuc beſtialibus illis & divino beneplacito & amori contrarijs propenſionibus ſit obnoxia; cæterùm oportet, ut cum excluſione vel conatu omnia ſenſualia excludendi, vel cum diſplicentiâ eorumdem, ſeſe ad Deum converſam teneat.

Modus patiendi tentationes in Deo.

Si fortè cum omni ſuo conatu & diligentiâ illas tentationes, ſeu ſentimentum illarum annihilare aut abjicere non poſſit ſecundùm partem ſenſitivam, aut vivacem imaginationem, expediet illas tranquillo & ad Dilectum amoroſo animo pati, cum animi præparatione in illis exercendi patientiam, quàmdiu Dilecto placuerit, non volendo liberari, modò ejus gratiâ præſervetur, ne ullatenùs aſſentiatur ulli rei ipſi diſplicenti, ejuſvè amori contrariæ; nam inferioribus motivis hîc moveri non debet, v. g. ne peccet ex timore gehennæ, vel beatitudinem amittendi; hæc enim motiva propriâ quæſitione ſunt mixta, & hæc reflexio ad proprium damnum vel utilitatem, eam vivere facerent in ſeipsâ, cum tamen omnis ejus in agendis, & omittendis intentio, in malis vitandis, vel bonis faciendis, unicè terminari debeat in Dei amore & beneplacito, conformiter exigentiæ vitæ abnegatæ, cujus facit profeſſionem.

Ex puro amore.

Abnegatio in omni tentatione.

Idem cum proportione habet locum in omnibus alijs tentationibus ſenſualibus, v. g. gulæ, iracundiæ, vindictæ, acediæ, blaſphemiæ, deſperationis, &c. n. quod anima abnegata de illis debeat concipere diſplicentiam

Digitized by Google

ſiam & horrorem, eò quod & in quantum contrariantur amori Dilecti, & dum hoc non obſtante, pergunt eam infeſtare, debet ex purâ dilectione ſe cum amoroſâ lamentatione, ſeu amoroſè lamentabundo intuitu ad Dilectum convertere, ſe diſponendo ad eas tolerandas in ejus amore, cum perfectâ ſui reſignatione, quamdiu ipſe voluerit; quod ſic faciendo, cùm vita ejus ſit continua tentatio ſuper terram, erit etiam continuum martyrium, patientia, agonia, & mors amoris amore Dilecti; tuncque anima de nullâ re ampliùs conqueretur, nec facilè ſe turbabit; ſed in omni eventu, ut minùs, ſecundùm ſpiritum ſervabit æquanimitatem.

Quomodò exercenda.

Abnegata vita continuum martyrium.

Idem eſt in morbis corporalibus, afflictionibus, pœnis, perſecutionibus, &c. ità n. ut anima abnegata ſe applicare debeat ad illa æquanimiter toleranda, quamdiu Dilecto viſum fuerit, idque ob ejus amorem, non deſiderando liberari, vel non liberari; quià hoc deſiderium denotaret iterùm propriam quæſitionem & vitam.

Abnegatio in morbis.

Anima taliter parata ad mortem amoris in omnibus ſuſtinendam, non eſſet difficilis, moroſa, queruloſa, lamentabunda, nec pro ſuo commodo vel incommodo multùm anxia vel ſollicita, niſi in quantum amor Dei id videretur poſtulare ob aliquam rationem, idque ſinè anxietate, inquiete, importunitate, turbatione, dum aliquid non benè ſuccederet, vel ei non benè ſerviretur, &c. neque enim ad ſuum commodum vel incommodum attenderet ut proprium, nec illud ad propriam ſatisfactionem conſequi vel vitare vellet, ſed dumtaxàt, dum id poſſet conducere ad honorem & amorem Dilecti; atque ità, dum poſt diſcreta remedia adhibita negocium non ſuccederet, totum acciperet in amore Dilecti, in eodem ſe ad longanimem tolerantiam, abnegationem & mortem reſolvendo, imò anhelando.

Æquanimitas animæ abnegatæ in patiendo.

CAPUT XX.

Anima in ſtatu ariditatis non poteſt ociari, prætextu, quod à Deo non trahatur, aut agatur; nam etiam tunc communi gratiæ cooperando Deo placere debet, ſicut Sponſa Sponſo ſuo; quo ſenſu tunc Deo ſerviat proprijs expenſis.

Sicut in præcedentibus verbo tetigi, fidelis anima, etiam in ſtatu ariditatis, inopiæ ſpiritûs, internæ derelictionis, in inſenſibilitate mentis, ſibi cavere debet à falſo ocio, conando ſe ſemper ſivè exteriùs, ſivè interiùs occupare; ſiquidem non ſolum debet cooperari extraordinarijs

In ariditate cavenda ocioſitas.

Digitized by Google

Gratiæ ordinariæ coöperandum. Dei tractibus & divitijs, favoribus, ſed etiam gratijs ordinarijs, quæ juſtis numquàm deficiunt: quandò Rex David non experiebatur ſpecialem Dei operationem, equidèm ex parte ſua ſatagebat eam acquirere, cum optimo ſucceſſu, undè aiebat, *os meum aperui, & attraxi ſpiritum*: Sponſa Canticorum cum magno labore quærebat Dilectum ſuum, donec inveniret, & diceret, *quæſivi, quem diligit anima mea*, &, *inveni quem diligit anima mea.*

Pſalm. 118. *Cant.* 2. 1. *Cant.* 3. 4.

Contrarium facere eſt præſumptio, quaſi Deo competeret animam quærere, & amoris ſignis prævenire, & non animæ, Deum; qui tantùm unum talentum acceperat, condemnabatur, & projiciebatur in tenebras exteriores, quià nihil erat ſuperlucratus, ſed abſconderat in terrâ, & manſerat otioſus; ſimiliter non omnes accipiunt duo, vel quinque talenta, id eſt, gratias extraordinarias & ſuperabundantes, neque ſoli has recipientes coöperari debent, ſed etiam, qui receperunt minores, tenentur facere ſuum poſſe, ut per fidelem coöperationem cum minoribus mereantur recipere majores; alioqui, & quas videntur habere, auferentur ab eis, & dabuntur alijs, qui majorem indè facient fructum.

Malum ex ocio.

Moroſitas puerorum. Quandò pueris non cedunt omnia ad nutum, exhibent ſe moroſos, & ad nihil volunt ſe applicare, nec præ moroſitate comedere; ſimiliter aliquæ animæ, dum à Deo non pro voto foventur, amoroſè excipiuntur, aut præveniuntur extraordinarijs gratijs & in benedictionibus dulcedinis, hærent ocioſæ, melancholicæ, triſtes, lamentabundæ, quaſi Deus ipſis aliquid ampliùs deberet, & ipſæ ſeſe poſſent excuſare, quò minùs aliquibus exercitijs ſe dedant, prætextu, quod à Deo ſpecialiter non trahantur, vel agantur, ſed ejus tractum & inoperationem in ocio præſtolari debeant; verùm hæ non ſunt benè conſultæ; quià ſic frequenter ſuam portionem amplioris gratiæ perdunt, quam alioqui reciperent, ſi ordinariæ gratiæ, quæ ſemper eſt ad manum, fideliter coöperarentur; nequè enim Deus largitur ſuas gratias ocioſis, ſed diligentibus.

Et animarum in derelictione. Malus prætextus ocij.

Sponſa conatur Sponſo placere. Dum Sponſa aliqua advertit Sponſum ſuum ſolito ſubtriſtiorem, vel alieniorem, ſinè externis ſignis amoris, amicabilitatis, &c. debet eum conari lucrari, præveniendo in aliquo, quod novit ei fore gratum, fatagit ei in aliquo placere, & ad ſui amorem & familiares amplexus allicere; ità etiam anima devota à Sponſo ſuo cæleſti, ſolito minùs præventa, ità ut tempus eſſe videatur, quo longè facta eſt ab amplexibus Dilecti, & ipſe ab eâ declinaſſe ac tranſijſſe videtur, tunc illa ex parte ſuâ per fidelem conatum, & amoroſam induſtriam, debet ſatagere illi placere, parata ei ſervire proprijs expenſis, ſinè aſſiſtentiâ aut ſtipendijs ſenſibilis gratiæ ex parte Dilecti; etſi enim etiam tunc ad manum habeat gratiam Dei, mediante quâ poteſt ſupernaturaliter operari; quià tamen illa pro tunc non per-

Sic anima Deo etiam in derelictione. Quo ſenſu Deo ſerviat proprijs expenſis.

per-

perceptibiliter coöperatur, anima taliter tunc facit opera, ac ſi proprijs viribus ea faceret, atque hoc ſenſu Deo ſervitet proprijs expenſis.

CAPUT XXI.

Coöperatio cum communi gratiâ debet ab incipientibus, proficientibus, & perfectis diverſimodè fieri, nullum dando locum ocio; perfecti poſſunt orationi vacare, quaſi Dilectum ſitiendo, ad ipſum vigilando, & aſpirando; dum à Deo foventur, nullo labore opus eſt, in ariditate econtrà.

Coöperatio animæ cum gratiâ.

In ſtatu incipientium, proficientium & perfectorum.

HIc tamen advertendum eſt, hanc coöperationem à diverſis diverſimodè exercendam; incipientes ſeſe poſſunt juvare per orationes vocales, per meditationes juxtà ſuum ſtatum, per opera pœnitentiæ, auſteritates, &c. proficientes per exercitium præſentiæ Dei, per orationes aſpirativas ſeu affectivas, per actus variarum virtutum, v.g. fidei, ſpei, Charitatis, patientiæ, humilitatis & ſimilium; ſed qui ferè faciunt profeſſionem majoris perfectionis, vacare poſſunt internùs auſcultandæ voci Dilecti cum activâ aſpiratione, ſeu ſpiratione ad ipſum, de quâ ſuprà actum eſt; item intendere poſſunt actibus annihilationis, abnegationis & reſignationis ſui in beneplacito Dilecti, cum reverentiali adoratione Dei in ſpiritu, cum amorosâ ad ipſum converſione, &c. quò ſic quiſque juxtà ſuum gradum, conditionem & diſpoſitionem animæ ſuæ, ſeipſum juvet, nec ocio locum præbeat, ſed nobili modo in Deo & cum Deo ſe occupet.

Vigilandum in Deo.

Ideò Salvator ſæpè monet Diſcipulos ſuos, ut vigilent, utique in bonis operibus; *quis putas,* inquit, *eſt fidelis ſervus & prudens? beatus ille ſervus, quem cùm venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem,* innuens ſe averſari ſervos ocioſos. Apoſtolus quoque ait, *vigilate, ſtate in fide, viriliter agite,* & Princeps Apoſtolorum, *vigilate in orationibus;* itàque anima bonæ voluntatis debet ſibi in oratione cavere à falsâ ocioſitate, & ad Deum vigilare, ut cùm Regio Prophetâ dicere queat, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo;* hoc etiam fieri poteſt, ſitiendo ad Deum, ſicuti etiam David practicabat, dum dicebat, *ſitivit in te Domine, anima mea; quàm ſitiens? ſicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, ità deſiderat,* inquit, *anima mea ad te Deus.* Atque hic eſt etiam valdè bonus modus internæ orationis, quæ conſiſtit

Matt. 24.45.

1. Cor. 16.

1. Pet. 4.

Ad Deum ſitiendum.

Pſalm. 62.

Pſalm. 41.

Quid ſit ſitis ad Deum.

in anhelatione, in deſiderando, in ſitiendo Deo; hic enim eſt inſignis modus elevandi mentem ad Deum; & quandò Dei bonitas tunc vel tantillum ſe communicat, quò deſiderio & anhelationi iſti nonnihil reſpondeat, ac illam ſitim vel guttatim ſatiet, ità ut anima, ſivè per ſpecialem illuminationem, ſivè per vivam fidem, præſentiam Dilecti utcumque percipiat, & guſtet, tunc in illa ſequitur quaſi amoroſa aliqua fruitio, ſuavis ſuctio, & imbibitio Divinitatis, ſeu Eſſentiæ divinæ, quaſi ſuavis, reficientis & ſpiritum refocillantis aëris, aut nutrientis ſucci, quo caſu anima *guſtat & videt, quoniam ſuavis eſt Dominus*, tunc dicit, *mihi autem adhærere Deo bonum eſt.*

Exſtinctio ſitis in Deo,

Pſalm. 73.

In ſtatu illuminationis magis paſſivè in Deo occupatur anima.

Quandò anima hîc experitur aliquem tractum Dilecti, & Deus in eâ operatur, tunc omnia ſponte fluunt, ſinè labore, cum ſuavi influxu omnium ejus potentiarum in Deum; quem tunc valdè perfectè adorat in ſpiritu; atque hæc occupatio manere poteſt extrà orationis tempus, ſicque poteſt *ſemper orare & non deſicere*; hoc etiam tunc fit magis paſſivè, eò quod divinus Spiritus ſolus ferè totum operetur in animâ, abſque eo, quod ipſa adhibeat laborem, tantummodò divinam inoperationem modeſtè & quietè inſequendo; ſed quandò illam vix percipit, manens in ariditate, & ſecundùm partem ſenſitivam ſibi relicta, tunc activiùs ſe gerere debet, ut cum nudâ fide & activâ anhelatione, ad Deum vigilet & in eo ſe occupatam teneat, cum tranquillâ dimiſſione & diſmixtione omnium, quæ eam à Deo mediare, vel alienare poſſent, ne alioqui otioſa inveniatur: verùm hæc nonnihil videntur extrà propoſitum dicta; nunc pergamus agere de verâ abnegatione.

In ariditate magis activè.

CAPUT XXII.

Animæ Deum amanti tædioſum eſt corpus nutrire; ſed anima abnegata exercet in eo continuam mortem amoris, ſinè querelâ, cum actuali abnegatione omnium, quæ naturæ grata ſunt; illi faciliùs eſt, omni voluptate carere, quàm frui.

Tædium animæ incomedendo, &c.

VT magis proficiamus in ſpiritu abnegationis, mortis, amoris, &c. cum durante hâc corporali vitâ, aliter non poſſimus, quin debeamus corpori dare neceſſaria, aliquibus etiam parti ſenſitivæ gratis rebus uti, naturæ in aliquâ quiete, nutrimento, & recreatione indulgere, ne deficiat, & ad ſerviendum ſpiritui fiat inidonea; anima Deum amans magnam in

472

his patitur difficultatem ; nam experientia educta , quià *corpus , quod corrumpitur , aggravat animam* , & ſupprimit ſpiritum in ſuâ ad Deum elevatione & volatu , magna illi crux eſt , ſe corporalibus neceſſitatibus ſentire obnoxiam ; durum illi videtur , ſe ad corporis ſuſtentationem continuò debere attendere ; tædet illam quotidiè , more beſtiarum , debere comedere , bibere , dormire ; eò quod experiatur ſe in illis difficulter poſſe ſervare modum , & moderamen debitum ; undè venit , quod corpori potiùs aliquid minùs , quàm nimium tribuat , donec ſentiat illud debilitari ; dolet , quod illi mortem non liceat inferre , ut ſic ab eo liberetur ; ſæpiùs clamat cum Prophetâ ad Dominum , *de neceſſitatibus meis erue me* , & cum Prophetâ Job , *antequàm comedam , ſuſpiro* , ac cum Apoſtolo , *quis me liberabit de corpore mortis hujus* ?

Corpus eſt crux animæ Deum amanti.

Pſal. 24. 17.
Iob. 3. 24.
Rom. 7. 24.

Verùm anima abnegata , pro quâ ſcribimus , etiam in his ſpeciali modo procedere debet ; imprimis diſcretè cum corpore agendum eſt , non nimis ſubtrahendo alimentum , vel quietem neceſſariam ; 2. cum illo patientia exercenda eſt , velut cum valetudinario ; vel etiam velut cum hoſte domeſtico , cui Deus apud ipſam hoſpitium ordinavit , cum inhibitione , ne neci tradatur , vel nimium emaceretur ; quocircà in eo ſummam habet ſui abnegationis materiam , imò multiplicem mortem amoris exercere debet , conſiderans ſe quotidiè ſollicitè debere providere illi , quem novit hoſtem ſuum capitalem ; attamen cum Dilectus talem ei ſortem , ſicut & alijs hominibus , dederit , libenter propter Dilecti amorem longanimem cum eo exercet patientiam abſque querimoniâ ; & ità multam cum eo ſuſtinet mortem amoris amore Dilecti , qui durante hâc vitâ hoc ſic ordinavit ; itàque 3. non licet corpori aut nutrimentum , aut quietem , aut recreationem indulgere , cum intentione illud fovendi , illi ſatisfaciendi , vel ejus deſideria ſequendi , ſed unicè ex amore , ad obſequium , intuitu , & ſecundùm beneplacitum Dilecti , cum oculo ad ipſum aperto , quo videat , quid , & quantum ſuo tempore ſit conforme ejus divinæ voluntati , & non ampliùs.

Quomodò anima abnegata agat cum corpore.

Mors amoris in fovendo corpore.

Corpori danda neceſſaria ex amore Dei.

Quandò anima ſincerè Deum amans advertit , naturam inſtar Bruti delectari in re aliquâ ſibi arridente , v. g. in lautis cibarijs , potu , quiete , aut aliâ corporis commoditate , in quibus vel ex neceſſitate , vel diſcretione , vel conformiter regulæ monaſticæ uti oportet ; tum ſpecialiter debet advigilare , ut omnem propriam ſatisfactionem , propriam complacentiam , & propriam ad illa reflexionem excludat , exercendo ſe in actuali abnegatione , morte , amiſſione , annihilatione iſtorum omnium ; imò iſtum guſtum , complacentiam , ſatisfactionem , commoditatem , quietem oportet abnegare , ſpernere , & ſuum affectum indè retrahere , & cum amoroſo ad Dilectum intuitu , paſſivè præterire , quaſi proteſtando , quod in

Abnegatio in rebus naturæ gratis.

Cum puro intuitu ad Deum.

Digitized by Google

iſtis nihil aliud intendat, quàm purè ex ejus amore procedere; hoc tamen tam activè fieri non debet, ſed quaſi cum ſimplici & amoroſâ ad Dilectum attentione, omni ſenſualitati moriendo.

Anima abnegata horret recreationes amœnas.

Porrò cum hæc ità ſint practicanda, non eſt mirum, quod anima Deum amans non anhelet ſed potiùs abhorreat ab omnibus, quæ naturæ arrident; utpotè cùm plus materiæ mortificationis & abnegationis inveniat in uſu, quàm in carentiâ omnium: atque ità omnia in eâ fiunt inverſo modo, quàm ſoleant in hominibus ſenſualibus, vel etiam utcumque ſpiritualibus, ſed vitam abnegatam non profitentibus, nec ad aſſiduam mortem amoris in omnibus, amore Dilecti, reſolutis vel aſpirantibus.

CAPUT XXIII.

Anima aſſueta ſui abnegationi, & in amore omnibus mori, non novit de aliquâ re conqueri, captat omnes patiendi occaſiones; dum ei aliquid deeſt, vel incommodum accidit, de nullo conqueritur, ſed omnia tranquillè & amoroſè ſuſtinet.

De nullâ re conqueritur.

SPiritus adhuc ulteriùs videtur inſtruere, quomodò totalis abnegatio, ſeu mors amoris exercenda ſit; n. quandò quis aliquam in hoc ſtabilitatem conſecutus eſt, ità ut jam contraxerit habitum, ſeu conſuetudinem ſe in omnibus abnegandi, & amoroſè moriendi, tunc de nullâ re novit conqueri, ſed in omni eventu manet tranquillus & benè animatus, imò cum gaudio amplectitur omnes occaſiones ſe abnegandi, & moriendi amore Dilecti, abſque querimoniâ de ullo; v. g. ex oblivione illi neceſſaria non miniſtrantur, relinquitur in incommoditate, negligitur in infirmitate, ad eum non attenditur, ei malè ſervitur, vel aliquid contrarium, corruptum, &c. datur, vel injurioſè illi aliquid imponitur, aliquis ei inhumanè loquitur, ab aliquo in bono ſuo propoſito patitur oppoſitionem, ab alijs, etiam amicis deſeritur, minoratur, contemnitur, &c.

Amplectitur occaſiones abnegationis.

Æquanimiter ſuſtinet caſus adverſos.

In his omnibus & ſimilibus eventibus anima abnegata ſatagit ſe æquanimiter gerere, cum magnâ manſuetudine, patientiâ, longanimitate, in nullâ re ſe turbando, nec alicui iraſcendo, nec de aliquo cum paſſione loquendo, vel conquerendo de aliorum ſtupiditate, negligentiâ, aut charitatis defectu; quin potiùs, quantùm poteſt, de illis tacet, alios excuſat, defectus extenuat, maximè dum moleſtiæ, vel incommoda ejus perſonam concernunt; novit etiam tales ſibi captandas occaſiones tanquàm à Dile-

Dilecto ſibi immiſſas ad exercitium; ad virtutis probam, & ut habeat materiam abnegationis amore Dilecti; quocircà iſta omnia ſilentio tegere ſatagit, velut theſaurum ſibi ſoli quietè ſervandum; iſta cum generoſâ conſtantiâ ſuffert ſinè querimoniâ, omnia modeſtè in cordis ſui fundo digerendo, cum ſuavi & amoroſo intuitu ad Dilectum; & ſe in illis delectando multò magis, quàm homines ſenſuales delectari ſolent in occaſionibus contrarijs fruendi corporis commoditatibus, aliorum obſequijs, honoribus, humanitatis officijs, & favoribus.

Per hoc etiam debet dare probam ſuæ fidelitatis ergà Dilectum, n. in captandis continuò & cum gaudio amplectendis occaſionibus & materijs ſeſe abnegandi, à ſeipſis exeundi, & creaturis moriendi, ejus amore, uti dictum eſt, omnia æquanimiter ſufferendo in charitate, & propter amorem Dilecti, ſinè quæſitione propriâ, ſinè adhæſivâ reflexione, quiete, ſinè tædio, aut ſatisfactione propriâ in ullâ aliâ re. *Fidelitas in patiendo amore Dei.*

CAPUT XXIV.

Anima abnegata benè facit orationem mentalem; in quâ ſecundùm potentias ſuperiores in Deo abſorpta eſt, ſed potentiæ inferiores aliquandò ſunt in commotione, licet quaſi ſeparatæ à ſpiritu; quomodò hoc fiat, & ſpiritus eam per abnegationem ſibi non attrahat, imò vix ſciat eas eſſe in motione.

ANima vitæ abnegatæ, uti dictum eſt, aſſueta, & incipiens vitam abſconditam extrà omnem ad ſe, vel ullas creaturas adhæſionem in Deo, communiter novit benè facere orationem mentalem, in quâ ſubindè occupatur hoc modo; in eâ perſeverat etiam per multum tempus, cum notabili intimitate; reſpirando & quieſcendo in informi Divinitatis Eſſentiâ, omninò introtracta in ſpiritu; non tamen cum totali ſuſpenſione ſenſuum vel phantaſiæ; quamquàm hæ potentiæ tunc ſint quaſi ſoporatæ, & deſtitutæ ſuâ vivacitate, vel ſuorum objectorum illecebrâ, adeòque à Spiritu facilè neglectæ; tunc enim Spiritus dominari videtur & illis non plus indulgere, quàm velit. *Animæ abnegatæ benè ſuccedit oratio.* *Oratio reſpirationis in Deo.*

Hæc intima in Deo occupatio quaſi perceptibiliter ſeparata videtur ab operatione aliarum potentiarum; nam tunc anima perfectè diſcernit, inter unam & aliam: intima occupatio manet ſtabilis in Deo; phantaſia verò hinc indè miſcet aliqua extravagantia, quæ tamen à Spiritu per ſimplicem *Intima occupatio in Deo ſeparata à parte ſenſitiva.*

Digitized by Google

cem reflexionem poſſunt rejici, vel inadvertenter prætereiri; hoc fit, eò quod ſpiritus tunc introtractus & ad ſuum informe divinæ Eſſentiæ objectum introverſus, ibi ſtabili ejuſdem contemplatione fruatur, cum ſuavi fruitione ejuſdem, in eo quaſi quieſcendo & reſpirando; atque ità potentiæ ſuperiores manent ibi totaliter occupatæ & introverſæ abſque colluſione vel aſſiſtentiâ potentiarum inferiorum, & conſequenter modo planè ſpirituali, id eſt, cum abſtractione & alienatione ab omni phantaſmate, vel objecto corporali, in quantùm attinet ad illas intimas operationes; quâ de causâ etiam objecta aliarum potentiarum, vel operationes earum, veluti nimis viles, extrà propoſitum & ad nihil utiles pro tunc, manent alienæ ab advertentiâ ſpiritûs, negliguntur, nec attrahuntur, nec poſſunt perturbare mentem, quæ jam longè nobilioribus rebus vacat; quamquàm anima poſteà nihil diſtinctè vel in particulari ſignificare vel explicare poſſit, niſi ſolùm, quod certò ſciat ſe in Deo fortiter & ſuaviter fuiſſe occupatam cum omnibus ſuis potentijs ſuperioribus, memoriâ, intellectu, voluntate; prout conſequens ejus diſpoſitio abundè notificat; cum ex intimâ illâ & ſpirituali operatione nihil aliud ſequatur, quàm notorij fructus Spiritûs.

Intima occupatio in Deo.

Planè ſpiritualis.

His tamen non obſtantibus, ratione ſpecierum impreſſarum, quibus ſenſus communis & phantaſia abundat, nihil mirandum eſt, quod, dum potentiæ ſuperiores tam intimè & ſpiritualiter Deo vacant, intereà etiam potentiæ inferiores obvolvant aliqua phantaſmata, vel alias operationes ſenſitivas; etenim dictæ ſpecies impreſſæ ex naturâ ſuâ movent potentias, & phantaſia per illas commota non poteſt ceſſare ab operatione & imaginatione, etiam ceſſantibus potentijs rationalibus (prout patet in ſomniantibus) vel modo dicto intimè in Deo occupatis: id quod anima in intimâ iſtâ oratione aliquandò experitur, & ſic tunc unam operationem ab aliâ diſcernere poteſt; ac ſpiritus in Deo ità introtractus & Dei inoperationem patiens poteſt operationem phantaſiæ, vel alterius potentiæ ſenſitivæ inadvertenter relinquere; quià tunc illam tantùm velut à longè percipit; ipſe interim manet in intimo; illa verò, quaſi ab extrà, vel ipſe manet in parte ſuperiore, & illa in inferiore; imò dum divina inoperatio extraordinariè eſt abſtracta, intima, & fortis, vel quandò ſpiritus fruitur perfecto ſomno amoris, requieſcens in brachijs Dilecti, tunc potentias inferiores, vel earum operationes non percipit, nec poſteà dicere poteſt, quod potentiæ inferiores operatæ fuerint, ſicut aliquis, qui profundè dormivit, neſcit, quid ſomniaverit.

Tempore intimæ operationis ludit phantaſia.

Differentia partis rationalis & ſenſitivæ.

Spiritus non attrahit potentias ſenſitivas.

Solummodò ad noſtrum propoſitum, animæ abnegatæ advigilandum eſt, ut, tum durante intimâ oratione, tum poſteà, commotiones phantaſiæ, & quaſvis ſpecies vel imaginationes non attrahat, aut voluntariam ad

Omiſſio omnium imaginationum per abnegationem.

Digitized by Google

474

ad illas foveat reflexionem, ſed per exercitium abnegationis illis moriatur, ſe ab illis avertendo, & abſorpta manendo in unico Dilecto ſuo; ſicuti aliquis negotio momenti & ſerioſo totis viribus incumbens non dignatur reflectere ad crepundias unius pueri vel ſtulti, vel ad luſum unius beſtiæ; imò aliquandò ità intendit, ut poſteà ignoret, an aliquid ſimile tranſactum ſit.

CAPUT XXV.

Quænam in animâ poſt talem orationem maneat diſpoſitio, etiam ad Divam Virginem in vel extrà intimam orationem, abſque præjudicio abnegationis.

Fructus orationis reſpirativæ in Deo.

POſt talem orationem manet in animâ abſtractio ab omnibus creaturis; item major, quàm unquàm antè, pudor & alienatio ab omnibus præteritis imperfectionibus & ſenſualitatibus; imò, ſi hæc animæ conſtitutio à Dilecto continuaretur & parùm intenderetur, non incideret animæ de illis ampliùs cogitare; omnis ſenſualitas, vel adhæſiva extrà Deum delectatio, ſuâ ſponte ceſſaret; ſicut, dum quis ad annos diſcretionis devenit, omnis puerilitas evaneſcit, imò puderet de illâ adhuc cogitare; quamquàm ad Matrem vel nutricem remaneat major confidentia, & minor pudor, quàm ad alios, eò quod innatus ad illam affectus adhuc retineat majorem ad eam candorem, reſpectum, ſubjectionem & amoroſam inclinationem; quod hîc addo, quià ſimilia etiam poſt dictam orationem in genuino Filio Virginis Matris non rarò reperiuntur, imò etiam durante oratione internâ talis manet ſuaviter ad illam propenſus, vel ſimul cum illâ diffluit in Dilectum, ibique amoroſè obdormit, quemadmodùm infans apud dilectam Matrem ſuam, vel ad ejus ubera, vel in ſinu obdormit, & in minimo expergefactus ubera premit, ad Matrem dulciter converſus ſinè pudore, licet durante ſomno de matre nihil cogitet, vel poſteà adhuc ſoporatus matrem non multùm attrahat, ſed ſe in ejus ſinu adhuc ad dormiendum diſponit: ad hæc attendant chariſſimi filij Matris amabilis, & intelligant, quomodò poſſint & debeant internam orationem exercere ſinè præjudicio ſui filialis amoris ad hanc Matrem ſuperdilectam.

Modus intimæ orationis agendi cum D. Virg. more Filij.

Carmelitis propoſitus.

Modus vacandi Mariæ & Deo.

Ità tamen, ut quibus cordi eſt vita abnegata, hi etiam iſta diſcant facere in ſpiritu abnegationis, hoc modo; ſic n. ut hanc amoroſam ad Matrem amabilem converſionem & hanc in ejus ſinu quietem ſimul fluere ſinant & terminari in Deum, ſicque etiam abnegatio modò unà cum ipſâ

conetur in Deo vivere, abſque eo, quod cum propriâ ſatisfactione aut ſenſualitate in ipsâ hæreat; nec aliter, quàm in quantùm Dilectus in his ſibi complacet, cui gratum eſt, quod ſui Electi eam tenerè diligant, amplectantur, honorent velut filij chariſſimi amantiſſimam Matrem; quocircà filiales ad illam affectûs teneritudines amoris, innocentes ad ejus ſinum recurſus, &c. tantùm exercere oportet, vel permittere, vel fovere, in quantùm Dilectus in illis habet complacentiam & ſatisfactionem, non verò in quantùm illa ſervire poſſent ad proprij amoris, propriæ quæſitionis, propriæ complacentiæ fomentum; hoc enim modo etiam in his abnegatio & mors amoris exercenda eſt, affectus illos, &c. ſic temperando, & finaliter in Deum fluere ſinendo, ne alioqui in illis anima vivat, & non in ſolo Deo: ideò hîc comitari debent amoroſi ad Deum intuitus, & ad ſolum ejus beneplacitum pura intentio.

Affectus electorum ergà Divam Virginem ſicuti ad Deum.

CAPUT XXVI.

Quomodò anima ſibi mortua pro ſe aliquid boni poſtulare, vel malum deprecari debeat, ſinè reflexione ad proprium intereſſe, ſed ſolùm ad amorem Dei; æqualiter gaudet de Gloria Dei in alijs, ſicut in ſe; dolet de alienis peccatis, uti de proprijs; quærit ſolùm intereſſe Dei.

Quomodò pro ſe ipsâ oret anima abnegata.

VT pergamus in ſpiritu vitæ abnegatæ & mortificatæ; anima bonæ voluntatis videtur diſcere, quomodò ſe gerere debeat in re aliquâ pro ſe à Deo petendâ, n. quod nihil pro ſe tamquàm pro ſe poſſit petere, ſed tantùm, quatenùs Dilectus in eo ſibi complacet; v. g. ſi oret, aut confidat ſe inſpiratam, vel neceſſitatam ad orandum, pro acquirendo humili aut puro corde, pro perfectâ de ſuis peccatis contritione, pro aliquâ gratiâ, ut liberetur ab aliquâ malâ inclinatione, &c. id facere non poteſt cum intentione propriæ utilitatis, propriæ quietis, propriæ perfectionis, ut ipſi benè ſit, &c. ibi ſiſtendo, ſed ad hæc omnia non attendendo, ſolummodò orare debet, ut Deus in hâc vel illâ re ipſam exaudire dignetur, in quantùm hæc vel illa gratia poſſet conducere ad majus ejus beneplacitum, amorem & gloriam; vel ut aliqui defectus, malæ inclinationes, peccata, auxilio gratiæ ejus corrigantur & emendentur, in quantùm hæc illi diſplicere poſſunt, & ejus in ſe amori obſtaculum ponere; ſic enim omnis ejus in orando intentio eſt pura, à propriâ quæſitione, à proprio commodo defæcata, ac finaliter unicè terminatur ad & in puriſſimo Dei amore & beneplacito.

Intendit ſolum Dei placitum, non ſuum lucrum.

Dum

Digitized by Google

475

Dum ānima in hoc ſincero & ab omni proprio intereſſe depurato Dei àmore nonnihil profecit, ità ut nihil intendat, niſi eum pro viribus executioni mandare, & omnia ſua in iſtum finem dirigere, tum incipit illi eſſe perindè, ſivè iſte amor per illam, ſivè per alios foveatur, promoveatur & augeatur; nam ſeipſam abnegavit, & jam ſibi mortua eſt, quaſi ipſa ad ſe non magis pertineret, quàm alij; quærit enim amorem, honorem & gloriam Dei ſecundùm ſe vel in ſe, vel quatenùs ille amor, honor & gloria Deo in ſe & propter ſe competunt, abſtractivè ab omni alio reſpectu, non attendendo à quibus creaturis, an ab illâ, an ab alijs iſta Deo exhibeantur; atque ità æqualiter gaudet de profectu, bonâ fortunâ, fælicitate, virtute, & gratiâ aliorum, quàm de proprijs, cum alios diligat ſicut ſeipſam.

Purus Dei amor.

Quærit Dei honorem æquè in alijs ac in ſe.

Hinc etiam provenit, quod æquè doleat de peccatis aliorum, ac de proprijs; neque enim jam ad ea attendit, tamquàm ad cauſas æternæ damnationis, vel amiſſionis æternæ beatitudinis, vel tamquàm impedimenta ſpiritualis profectûs, ſed ſolummodò & præcisè, quatenùs contrariantur amori, beneplacito, & honori Dei, cujus ſolius intereſſe ei cordi eſt, non verò proprium, aut alienum damnum aut lucrum, niſi in quantùm illud lucrum ſivè proprium, ſivè alienum eſt conforme Dei beneplacito & amori; aut illud damnum ſivè proprium, ſivè alienum illi amori & beneplacito difforme, & non plus.

Gaudet de bono aliorum, ut proprio, uti & dolet de malo.

Purè ex amore Dei.

CAPUT XXVII.

Anima abnegata orat pro alijs, zelatur promotionem virtutis in alijs, orat pro agonizantibus, pro animabus Purgatorij, &c. non propter illarum intereſſe, ſed ut amor Dei in illis locum habeat, & impedimenta amoris tollantur; in omnibus agitur ſpiritu charitatis.

Quò iſte purus Dei amor animæ magis cordi eſt, & in eâ magis perficitur; eò magis moveri ſolet ad orandum pro alijs, pro peccatoribus, Ethnicis, Hæreticis, perverſis Chriſtianis, pro agonizantibus, vel in Purgatorio detentis, non propter præjudicium & damnum à peccatis in animabus iſtis cauſatum, ſed quià peccatum contrariatur bonitati & amori Dei.

Quomodò anima abnegata oret pro alijs.

Ideò quò anima magis proficit in amore, eò magis inclinatur ad retrahendos alios à peccatis ad meliorem vitam, ut ſic in illis amori

Zelus impediendi peccata in alijs.

Digitized by Google

locum præparet; nam zelus animarum in illâ creſcit ſecundùm menſuram amoris; atque in iſtum finem, oblatâ occaſione, libenter exſtimulat alios ad virtutem, ſuggerit ſana conſilia & inſtructiones ad vitanda peccata, ad mortificandas pravas inclinationes & paſſiones, quatenùs ſummo Bono, Deo immortali etiam ab ipſis debitè ſerviri poſſit juxtà ejus dignitatem.

Dolor ob jacturam animarum.

Summus illi dolor eſt, ſcire tam multos inire vias perditionis; ideòque non ignorans, eſſe facile in oculis Dei, ſubitò cohoneſtare pauperem, & ſuam illi impertiri miſericordiam, ſæpè orat pro agonizantibus, ut poſſint habere gratioſam ultimam vitæ horam, etiam Turcæ, Hæretici, &c. per immiſſionem alicujus radij divinæ gratiæ, per infuſionem notitiæ Dei, contritionis de peccatis antè ſeparationem animæ à corpore, quatenùs cum perfectâ gratiarum actione Deum laudent, honorent, diligant in æternum; ſæpè ingemiſcit, conſiderans tam paucos etiam Religioſos dignè vivere vocatione ſuâ juxtà ſuam obligationem, non ſinè æternæ damnationis periculo, eò quod amor Dei tam exiguum in eis capiat locum, ubi tamen deberet abundare.

Orat pro alijs ut amor in ijs locum habeat.

Pro animabus purgatorij.

Non rarò etiam preces ingeminat pro animabus Purgatorij, ut citiùs fruantur amore beatifico; nec unquàm pro ſe-ipſâ poſtulat remiſſionem peccatorum, exſtirpationem vitiorum & pravarum concupiſcentiarum, niſi quia in illis apprehendit contrarietatem cum amore Dei, quo agitur & urgetur ad plurima bona opera, tum in ſe, tum in alijs procuranda, & ad mala ſua & aliorum deteſtanda; ità ut ei cum Divo Auguſtino dicere liceat, *amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror.*

Agitur amore.

Non alijs motivis.

Alia autem motiva tum à malo declinandi, tum bona faciendi, v. g. ne damnationem incurrat, vel æternam beatitudinem amittat, ne pœnas in Purgatorio luere debeat, ut magnam gloriam conſequatur, vel quid ſimile, non habent in animâ abnegatâ locum, utpotè quæ jam per totalem abnegationem ſui & mortem amoris, omne proprium commodum aut incommodum, lucrum aut damnum, etiam alienum, abdicaverit, & oculum dumtaxàt ad intereſſe amoris Dei, apertum habere didicerit, ſivè in ſe, ſivè in alijs, indifferenter, perindè ac ſi nec Cælum nec infernus exſtaret, nec quidquam aliud.

Excluſio omnis proprij intereſſe.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

Anima abnegata ſe totam Deo committit in tempore & æternitate, nihil pro ſe vel alijs proprium intendens, ſed ſolùm Dei placitum: declinat à malo & facit bonum, non ſpe præmij, vel timore pœnæ: etiam in cultu, invocatione, amore Divæ Virginis & aliorum Sanctorum excludit omnem propriam quæſitionem.

QUamvis propter rationes prætactas anima abnegata non velit, nec poſſit ſeipſam in aliquâ re quærere, nec pro ſe eſſe ſollicita in tempore & æternitate, ſed ſe totam divinæ Providentiæ committat, non quærendo ſeipſam in fugâ alicujus temporalis aut æterni mali, vel in proſecutione ullius ſimiliter temporalis aut æterni boni; non tamen ideò vel minimum omittit eorum, quæ novit poſſe conducere ad majorem ſuum vel aliorum profectum, nec non diligentiſſimè vitat omne malum etiam minimum; idque non alio motivo, quàm quia bonum amori Dei congruit, & fovet, & malum eidem contrariatur, vel flacceſcere facit; ex quo colligere licet puriſſimam ejus intentionem, & ſincerum, & impermixtum amorem, quo ſolo abſque ullâ ad proprium vel alienum commodum aut incommodum reflexione, anima abnegata in omnibus agendis & omittendis agitur & urgetur; atque ità patet differentia inter talem animam & alios proprij intereſſe quæſitores, qui ſolùm Deo ſerviunt ex formidine pœnæ, vel ſpe mercedis, adeoque ſunt meri mercenarij.

Animæ abnegatæ in Deo reſignatio pro tempore & æternitate.

Nil omittit agendorum; cavet omne malum.

Sinè proprio intereſſe.

Dùm anima ità fideliter proficit in prædicta morte, & abnegatione ſui, & omnium rerum creatarum; tunc continuò magis & magis inſtruitur, quomodò illa abnegatio in omnibus ſit exercenda, excludendo ubique omnem voluntariam reflexionem ad proprium lucrum vel damnum, v. g. etiam in honore & amore, quo fertur in Matrem amabilem; illam enim ut dulciſſimam Matrem cordi ſuo impreſſam habet, ſicut ſolet nobilis filius Matrem chariſſimam, quâcum agit tenerrimo amoris affectu, amicabiliter, reverentialiter, morigeratè, non tamen viliter, mechanicè & abjectè occupatur, ei omni tempore ſupplicando, eam continuis precibus moleſtando; ut ab illâ juvetur, à malis liberetur, bonis ditetur, ab eâ non deſeratur, non ſinatur perire, ab hoſte ſuperari, &c. ſiquidem imprimis ſic cum matre agere eſt contrà ſtylum legitimorum filiorum in honorabili, nobili, divite familiâ benè educatorum, ubi filijs abundè provi-

Colit D. Virginem ſinè proprio intereſſe ut Matrem.

Mores nobilis filij.

detur de omnibus abſque eo, quod oporteat verbum loqui, imò pluſquàm poſſent expetere; ità ut pro ſimilibus orare planè eſſet ſuperfluum, ſignum vilis & abjectæ indolis ac diffidentiæ; deindè ſimiles precationes plerumque ſcatent propriâ quæſitione, propriâ ad ſe reflexione, anxietate, à quibus anima abnegata jam debet eſſe libera; & ſicuti ejus ergà Deum amor à talibus reflexionibus & proprijs quæſitionibus eſt depuratus; ità etiam amor, honor, invocatio Matris Dei ab illis depurari debent; & ſicuti anima ſe totam Deo committere, & in ipſum abjicere debet, ità etiam Matri amabili; ità tamen ut nihil negligat, quod teneriimus, reverentialis & filialis ad Matrem tam amabilem amor poſſet exigere.

Purus amor ergà Divam Virginem.

Si interiùs moveatur, ut eam pro aliquâ re deprecetur, vel offeratur occaſio ſpecialem aliquam devotionem illi ad aliquem finem exhibendam, nihil in hoc aliud intendere fas eſt, quàm deprecari id quod in animâ vel alijs Dei beneplacito poſſet adverſari, & quærere quidquid amori & beneplacito Dei fovendo poſſet ſervire, nolendo ad aliquid aliud extrà Deum, ſivè in ſe, ſivè in alijs reflectere.

Quâ intentione Diva Virgo invocanda.

Idem eſt in cultu & invocatione aliorum Sanctorum, in quibus nos oportet evacuare ab omni propriâ quæſitione, quatenùs Deus ſolus per ſuum amorem & beneplacitum in nobis vivat, in quem finem etiam omni ad nos-ipſos, vel ad ullas creaturas amori, per veram abnegationem, mori debemus; id quod in ſimilibus occaſionibus debet ſervire pro regulâ generali, ut ubiquè propriam vitam exulare faciamus & ſoli vitæ divinæ locum paremus.

Cultus Sanctorum ſinè proprio intereſſe.

CAPUT XXIX.

Anima abnegata poteſt in tribulatione invocare Divam Virginem ſinè propriâ quæſitione, ſolùm propter amorem Dei fovendum, & contraria divertenda; mors amoris etiam exercenda eſt intuitu Divæ Virginis, & in cultu Sanctorum, Reliquiarum, &c.

DUm occaſio alicujus periculi in corpore vel animâ, alicujus gravis tentationis, magnæ perſecutionis, extraordinariæ tribulationis, &c. videtur exigere ſpecialem recurſum ad patrocinium Matris amabilis, id ſimiliter faciendum eſt, ſinè intentione alicujus proprij intereſſe, ſolummodò cum intentione, amorem Dei in ſe conſervandi, aſſecurandi, vel augendi per ejus aſſiſtentiam, & interceſſionem, quam interpellat; pro

Quomodò in neceſſitate Diva Virgo invocanda.

Sinè proprio intereſſe.

ut

Digitized by Google

ut anteà diximus animam abnegatam poſſe Deum rogare pro contritione & remiſſione peccatorum pro ſe vel alijs, abſque eo, quod in ſimilibus ſuum aut alterius commodum aut utilitatem velit conſequi, aut incommodum, damnum, tædium, dolorem ſuum aut alterius vitare, non aliter, quàm in quantùm bonum, quod intendit, poſſet ſervire ad amorem Dei conſervandum & fovendum, & malum, quod deſiderat vitare, iſti amori poſſet nocere.

Mors amoris ergà Divam Virginem exerceri poteſt.

Simili enim modo & ſenſu, poteſt & debet ſe etiam anima gerere in invocatione Divæ Virginis, imò poteſt ſeſe ad illam tenere converſam, cum amoroſâ ad illam & ſuavi inclinatione, ſufferentiâ, abnegatione omnium in puro amore ergà ipſam, & illum unà facere fluere & terminari in puro Dei amore, ad quos duos amores conſervandos & fovendos hæc anima poteſt per orationem, opem Matris amabilis invocare, non tamen ſinè animi præparatione, tentationem, perſecutionem, aut alia cum plenâ abnegatione omnis ſublevaminis aut ſolatij tolerandi, quamdiu id ſervire poteſt ad obſequium hujus amabilis Matris; quocircà omnia ſupradicta, & adhuc dicenda de abnegatione, agonia & morte amoris, amore Dilecti, decet à genuino Mariæ filio etiam exerceri illius intuitu & amore, & unà intuitu & amore Dilecti.

Amor Dei & Divæ Virginis ſimul exercendus.

Quomodò anima abnegata colat Sanctos, Reliquias, &c.

Idem eſt cum proportione in cultu, veneratione, & invocatione aliorum Sanctorum, vel quandò eorum feſta, devota loca, miraculoſæ vel piæ imagines, vel Sacræ Reliquiæ videntur ſpecialem ad illos devotionem requirere, n. attendendo ſemper, ne in illis aliquid proprium prætendamus, ſed omnem propriam quæſitionem abnegando, ſolùm purum Dei amorem, honorem & gloriam cordi habeamus, nec in aliquo quidpiam exigentiæ jugis abnegationis contrarium operemur: datâ tamen occaſione licet opem Sanctorum liberè implorare, quatenùs confidit ſe interiùs ad hoc moveri, idque in quantùm poteſt conducere ad divertendum quidquid amori Dei contrarium eſt, vel ad impetrandum id, quod divinum amorem aſſecurare, fovere vel augere poteſt, abſque reflexione ad proprium commodum, ſublevationem, quietem, vel liberationem à malo, &c.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXX.

Quâ intentione anima abnegata debeat legere horas, orare pro miſericordiâ, ne damnetur, ut ſalvetur, &c. purè ut amori Dei det locum; quâ etiam intentione Sacramenta frequentanda cum excluſione reflexionis ad proprium intereſſe.

Quomodò legat horas. Pſal. 50. Pſalm. 18. Pſalm. 118. Quomodò oret pro miſericordiâ, remiſſione peccati,&c. Purè ex amore Dei,non ob proprium intereſſe.

EX jam dictis facilè colligere eſt, quâ intentione talis anima debeat recitare Officium, cantare Pſalmos, &c. n. præterquàm quod ſe poſſit conformare intentioni Eccleſiæ, quandò v. g. legit, *miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam... ne projicias me à facie tuâ, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me... ne perdas cum impijs, Deus, animam meam ... inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem*, & ſimilia, tunc in illis nihil aliud intendere debet, quàm ut per miſericordiam Dei liberetur à peccatis, ut in gratiâ conſervetur, ne damnetur cum impijs, ut æternâ potiatur retributione, &c. in quantum peccata, quibus gravatur, ſunt contraria & ponunt impedimentum Dei amori, eique diſplicent; in quantum ablatio Sancti Spiritûs ab ipsâ, expelleret amorem Dei; in quantum æterna damnatio cauſaret æternum Dei odium ejus amori directè contrarium; in quantum æterna retributio econtrà cauſaret æternum amorem juxtà beneplacitum Dei, & ſic de alijs; ſed non in quantum peccatum vel damnatio ipſi præcisè nocerent, vel pœnam cauſarent, & æterna retributio ei prodeſſet ad gaudium ſempiternum; quia hoc proprium gaudium, & illud nocumentum aut pœna propria animam impediret ab amoroſo & puro ad Dilectum aſpectu, quem ad ſeipſam malè retorqueret, ſicque in ſeipsâ, non in Dilecto viveret, cum non poſſit ſibi vivere vel mori, pro tempore & æternitate, niſi purè intuitu & amore & in amore Dilecti, cum excluſione omnis voluntariæ reflexionis ad ſeipſam aut aliquid proprium ſivè lucrum, ſivè damnum, ſivè vitam, ſivè mortem.

Quo animo Sacramentis utendum. Sinè intentione proprij intereſſe.

Cum ſimili diſcretione ſeu excluſione omnis proprij intereſſe frequentanda ſunt Sacramenta, n. ut anima per illa expurgetur ab omnibus amori & beneplacito Dei contrarijs, & impetrandum omnia, quæ amori Dei conſervando, fovendo, vel augendo poſſunt ſervire, & non, quatenùs gratiæ Sacramentales eam ab omni malo præſervare, à damnatione eripere, ad æternam beatitudinem viam parare poſſunt, ſed præcisè quatenùs eam reddunt idoneam diligere Deum, qui omni dilectione dignus eſt, & ſibi

Digitized by Google

ſibi complacet in animabus, in quibus amor Dei vivit, & exulat quidquid ejus amori contrarium eſt; equidem anima ſemper meminiſſe debet, quod ſeipſam ſemel pro ſemper abnegaverit, & ſibi mortua ſit, ut deinceps in ſolo amore Dilecti vivat & moriatur; & conſequenter non liceat attendere, an hoc vivere & mori amore Dilecti, etiam ſibi utile ſit vel delectabile, aut econtrà damnoſum, tædioſum, aut triſte; nam in illum ſolùm finem ſeipſam oportet abnegare, ſibi mori, & ſe totam in Deum abjicere, ut per hoc ad ejus ſolius amorem & complacentiam deinceps vivat, & moriatur. Vt in ſolo Deo vivat.

CAPUT XXXI.

Tentatio deſperationis in animâ abnegatâ non capit locum, quià ſe totam divinæ Providentiæ commiſit, nec Deo ſervit formidine pœnæ aut ſpe mercedis, ſed ex puro amore; dum illa tentatio eſt vehemens, ſervit pro materiâ abnegationis & agoniæ amoris.

SI animæ perfectè abnegatæ accidat tentatio deſperationis, non poteſt in illâ capere locum, præſertim quoad partem Superiorem; cùm enim jam aſſueverit ſe in incertum beatitudinis vel damnationis, ſivè potiùs, in abſtractione ab utrâque divinæ Providentiæ committere, nec jam ampliùs Deo ſerviat ex timore pœnæ vel ſpe retributionis, ſed præcisè ex puro amore, quo ipſum infinities dignum agnoſcit, quià eſt, qui eſt; ſic ut nihil vel minimum vellet omittere, quod novit ipſi placere, nec quidquam facere, quod ſcit illi diſplicere, etiamſi nec Cælum exſtaret, nec infernus, nec pœna timenda, nec merces ſperanda; imò licet ipſi ſua reprobatio eſſet revelata; non tamen ideò ſe vexaret, ſed ſe relinqueret beneplacito Dei, adorando juſta ejus judicia, nec hoc ſibi inutiliter attraheret, nec ideò aliquid ex conſuetis exercitijs omitteret; quia ſibi adhuc reputaret magnum honorem & favorem, quod, durante ſaltem hâc tranſitoriâ vitâ, ſibi liceret diligere & ſervire Regi ſæculorum immortali, & Deo immenſæ Majeſtatis, infinitæ ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, &c. Deſperatio vix capit animam abnegatam. Servit Deo ſinè proprio intereſſe. Non attendit pœnam vel præmium. Etſi ſciret ſe reprobam,

Si fortaſſis hæc tentatio deſperationis ſuâ nimiâ vivacitate potentias ſenſitivas turbaret, & hæ potentias ſuperiores graviter obruerent per vivaciſſimas apprehenſiones interminabilis æternitatis in tormentis atrociſſimis; tunc hæc anima conaretur hoc accipere pro agoniâ amoris, cum deſiderio In vivaci tentatione exercet agoniam amoris,

 ſubeundi

Digitized by Google

ſubeundi in hoc mille mortes amoris propter Dilectum, conando turbationem, oppreſſionem, horrendas illas apprehenſiones & vivacitatem tentationis ſuſtinere longanimiter in amore Dilecti, manendo quaſi violentiâ oppreſſa, & ad ipſum ſuaviter & amoroſè converſa, cum ſui ad has anguſtias reſignatione, quamdiu ei placuerit, cum voluntariâ ſui in abyſſum divinæ Providentiæ abjectione pro tempore & æternitate.

Quomodò.

Hinc indubiè ineffabiles in tali animâ anguſtiæ, hinc horribiles agoniæ ſpiritûs; ſed in eâ ad Dilectum ſuum *fortis ut mors dilectio* prævalet, & ſeparat eam ab omni proprio intereſſe, & ab omni voluntariâ reflexione ad omnia, quæ illam per proprium amorem ad ſeipſam poſſent recurvare; *nec aquæ multæ* tribulationum, & internarum anguſtiarum *poterunt exſtinguere Charitatem* talis animæ, *nec* velocia *flumina* ejuſmodi tentationum & preſſurarum *obruent eam*; ſed ipſa conſtanter perget, faciendo quod in ſe eſt, ut in lamentabili iſto ſtatu ſuam ergà Dilectum probet fidelitatem & amorem purè propter ipſum, quia eſt omne bonum in ſeipſo.

Fortis ut mors dilectio.

Fidelitas in vehementi tentatione.

CAPUT XXXII.

Anima abnegata in extremâ derelictione, tranquilla manet in diſpoſitione Dei, diligendo ipſum propter ipſum, ſinè reſpectu ad ſeipſam; reſignando ſe ad omnem pœnalitatem juxtà beneplacitum Dei, quem etiam cupit diligere ex totis viribus paſſivis, ad ipſum ſuaviter converſa, & in omnibus fidelis, etſi ſciret ſe ab eo reprobatam pro ſemper.

IDem etiam eſt in internâ derelictione, animi amaritudine, mentis caligine, inſenſibilitate in omnibus Deum & animæ ſalutem concernentibus; ſic ut anima apprehendat ſeſe ex nunc à Deo reprobatam, & in æternùm diſgratiatam, ſinè ullâ ſpe, ejus gratiam & amorem recuperandi; eò quod jam planè videatur derelicta, & in poteſtatem dæmonum redacta, &c. equidem anima abnegata & ſibi mortua, non ità attendit, an à Deo ſit relicta vel reprobata, nec nè, an ſit in amaritudine, caligine, deſolatione, nec nè, nam imprimis per profundam humilitatem fatetur & credit tam miſerabilem ſtatum ſibi deberi & eſſe proprium, nec aliud ſibi convenire; 2. eò quod ſeipſam amore Dilecti planè abnegaverit, non curat proprium lucrum vel damnum, lucem, vel tenebras, dulcedinem vel amaritudinem, ſed committit ſe divinæ circà ſe diſpoſitioni. 3. non diligit Deum, ut ab eo amoroſè excipiatur, foveatur, illuminetur,

Quomodò in derelictione exercenda abnegatio.

Motivo humilitatis.

Deo ſervit ſinè intereſſe.

con-

Digitized by Google

479

conſoletur, & reciprocè ametur, ſed quia in ſe omni amore digniſſimus eſt; & quia credit Deo placere, vel ipſum permittere, ut ipſa in tanta derelictione, extremis anguſtijs, deſolatione, pœnalitate maneat, ſeſe accommodat, ut Dei beneplacitum vel permiſſionem in hoc amplectatur, nec aliud deſiderat, quàm ipſe deſiderat vel permittit, ſeſe reſolvendo ad talia ſuſtinenda, etſi ſemper forent duratura, idque ex puro amore Dei, cujus beneplacitum ſeu permiſſio eſt ipſius beneplacitum, quamdiu ipſi placuerit, ſibi firmiter perſuadendo, id eſſe optimum, cum ſuprema ſapientia & bonitas ſimilia diſponant & permittant.

Amat Deum propter ſe.

Sibi etiam perſuaſum habet, quod ex parte ſuâ Deum ut ſupremum bonum in ſeipſo debeat amare, & de facto intendit eum amare in omnibus ſuis faciendis & ſuſtinendis, ex omnibus viribus ſuis activis & paſſivis; ità ut non ſolùm potentias activas, ſed etiam paſſivas corporis & animæ in Dei amore, & in omnibus ab ipſo circà ſe diſpoſitis, & permiſſis, velit & optet poſſe conſumere, impendere, ſuperimpendere; & conſequenter ſentimentum, quod indè habet, ſatagit pati cum ſuavi ad Dilectum converſione, ſeſe quaſi captivam tradendo, & divinæ ejus diſpoſitioni mancipando, ac ſe ad ſuſtinendum præparando, ſeu potiùs ad diuturnam mortem reſolvendo, amore Dilecti; idque licet ſciret ſe ab eo reprobatam, ac ab ejus amore & gratiâ excluſam, & deinceps excludendam; nam ipſa ex parte ſuâ ſe reſolvit ei ſervire gratis, pro illo ſolo vivere, omnia operari & pati omni meliori, quo poterit, modo; & de facto, licet Deus eam pro aliquo tempore relinquat in ſtatu tam deſolato, ipſa nihilominùs ſervat ordinaria ſua exercitia nihil omninò omittendo vel negligendo, in quo exercet fortem & fidelem, etſi non teneram dilectionem ergà Deum unicum Dilectum ſuum & omnia.

Deus diligendus totis viribus activis, & paſſivis.

Serviendum Deo gratis etſi conſtaret de reprobatione.

CAPUT XXXIII.

Anima abnegata non petit à malo liberari, vel conſolari; moritur, in ſolo Deo victura; libenter ſuſtinet continuum martyrium ſpiritûs, cum æquanimitate etiam in vultu; pœnalitatibus quaſi oppreſſa tradit ſe morti amoris, ad Deum dulciter converſa, quaſi nec unquàm læta, nec triſtis.

EX his colligere eſt, quàm purus ab omni proprio intereſſe, impermixtus & fortis amor vigere debeat in animâ abnegatâ, ut modis dictis ſe liberare, relinquere, & quaſi in incertum in Deum abjicere poſſit,

Purus amor Dei.

ſinè ullâ ex parte ſuâ infidelitate in ſuâ ad Dilectum dilectione & converſione; quin-imò nollet orare pro ſuo, etiam in tam triſti conſtitutione, ſublevamine, ſolamine, aſſecuratione, aut liberatione, quia hoc iterùm eſſet indicium proprij amoris, propriæ quæſitionis & ad ſeipſam reflexionis, ac conſequenter propriæ vitæ in ſeipſâ, quam jam dudùm abnegavit, ſibi ipſi moriendo, ut in ſolo Deo viveret, ac dicere poſſet, *mihi vivere* CHRISTUS; imò, certo ſenſu & modo, eſt benè contenta tales occaſiones agoniæ & mortis amoris obvias habere, & ſuam puriſſimam, defæcatam & ſinceram dilectionem ergà Deum in iſtis exhibere, ei volupè eſt.

Sinè deſiderio ſolatij.

Deſiderium patiendi multa amore Dei.

Anima in his fideliter & conſtanter proficiens, indubiè ſuſtineret longum & continuum martyrium, foret enim aſſidua, anguſtians & amara mors, non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm ſpiritum, adeòque tantò acerbior, præſertim tempore extremæ derelictionis, internæ anguſtiæ, & agoniæ ſpiritualis, quæ inſtar gladij ab utrâque parte acuti penetrat uſque ad diviſionem ſpiritûs.

Continuum martyrium.

Hæc tamen anima maneret ſemper æquanimis, ſpiritu robuſta, mente tranquilla, parata multa pati propter Dilectum, numquàm triſtis, puſillanimis vel dejecta, ſed ſemper ad Dilectum ſuum erecta, dulciter ad eum inclinata, vultu ſerena, amicabilis & ſedata; nam etiam dum maximè premitur, quandò cordis preſſionibus, pœnalitatibus & angoribus magis obruitur & undique violentatur, tunc potiſſimùm exercet ſuavem mortem amoris, ſe quaſi tradens & diſponens ad quævis longanimiter ſuſtinenda, cum actuali & amoroſâ voluntatis applicatione ad Dilectum ſuum, & in ipſo quaſi dulciter exſpirando.

æquanimitas in omni eventu.

Mors amoris in extremis malis.

Talis etiam numquàm eſt exceſſivè læta, vel triſtis, nam in occaſione lætitiæ, debet eam abnegare, illi mori, ſeu affectum ab illâ dimovere amore Dilecti; in occaſione etiam triſtitiæ debet ſpiritum ſuum ſuaviter ad eam applicare cum amoroſo ad Dilectum intuitu; & quia in omnibus reſolvit à ſeipſâ exire, ſeipſam abnegare, ſibique mori; ideò etiam occaſiones lætitiæ vel triſtitiæ ſinit inadvertenter tranſire, tamquàm ad ſe non pertinentes, & ut tales conatur abnegare, non attrahere, non curare; ſolummodò illi remanet in utrâlibet occaſione attentio, & amoroſus aſpectus ad Dilectum, conatur æquanimitatem ubique etiam in vultu præſe-ferre: ſic Salvator noſter ſemper vultu amabilis, eò quod ſemper dulciſſimè ad Patrem cæleſtem eſſet inclinatus, etiamſi pro majori parte preſſuris ſcateret, ſemper habens præ oculis inſtantem ſuam paſſionem & peccata hominum, propter quæ major pars eorum de fructu paſſionis non participarent: vel potiùs talis anima, nec eſt læta, nec triſtis, ſed in omnibus temperata.

Anima abnegata nec læta, nec triſtis.

Suaviter ad Deum converſa.

Chriſtus ſemper æquanimis,

CA-

480

CAPUT XXXIV.

Anima purè Deum amans invenit patiendi materiam in omnibus, quæ in ſe & in alijs advertit amori Dei contraria; optat omnes prævaricationes corrigere, ſed advertens ſe non poſſe, vel ab alijs impediri, ſubit mortem amoris, & committens omnia Deo, manet quieta.

QUandoquidem talis anima tam purè quærat amorem Dilecti, & intereà deprehendat paucos reperiri, quibus amor iſte cordi eſt, & pleroſque homines, etiam eos, qui faciunt profeſſionem Deo ſerviendi, plurima charitati contraria operari, ſic non poteſt minùs, quin obvias habeat tot cruces, ſeu toties materiam patiendi, quoties invenit impedimenta divini amoris, ſivè in ſe, ſivè in alijs, ſed in omnibus ſe ad patiendum diſponit. Anima Dei amans dolens de aliorum peccatis.

Si advertat aliquos dupliciter agere, alios effuſos eſſe in vanitates & levitates, in cibum & potum, vel ad ambitionem; ſi videat alios facilè vel paſſim prævaricari Dei præcepta, peccare contrà vota ſua, contrà regulas & conſtitutiones monaſticas, &c. omnia hæc illi ſerviunt pro materiâ patiendi & dolendi; eò quod benè ſciat, amorem Dei per hæc in multis deficere & flacceſcere; ideò clamat cum Propheta, *vidi prævaricantes & tabeſcebam, quia legem tuam non cuſtodierunt*; eſt enim ipſi dolor cordis intrinſecùs, cogitare, quod per iſtas tranſgreſſiones gratia & amor Dei ità ex cordibus hominum debeant exulare, & tam pauci fideliter Deo ſerviant, plerique autem ſint *homines animales, ſpiritum non habentes, alienati à vitâ Dei.* Tranſgreſſiones aliorum ſunt illi cruces. *Pſalm.* 118.

Ideò libenter Dilecto ſuam offerret operam, quò omnes ad meliorem frugem reduceret; in quem finem cum eo paciſci deſiderat, n. quod ipſa ſibi non parcet in laborando pro ſalute animarum & converſione animarum, ſed quod ipſe dabit eis gratiam converſionis, & melioris vitæ; hinc ait, *docebo iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur*; libenter clamaret ad omnes ſuæ ſalutis incurios, qui tam parùm ſunt ſolliciti vitam conformare divinis præceptis, & ſuæ obligationi, *prævaricatores redite ad cor*, ut videatis, quàm ſitis elongati ab amore Creatoris veſtri: unicè optat omnes diſſolutiones, irregularitates, & defectus in Congregatione religioſâ poſſe corrigere, conatur omnes ad majorem fervorem, regularitatis zelum, & ſtudium perfectionis extimulare: ſed dum videt ſe parùm proficere, ſe Habet Zelum animarum. *Pſalm.* 50. *Iſai.* 46. 8.

Digitized by Google

Dolet ſe non poſſe facere fructum.

ad intentum non poſſe venire, ſe pro voto non poſſe adferre remedium, ſed potiùs inveniat, qui bono ejus Zelo obſiſtant, ac ejus laborem reddant infructuoſum, eſt illi continuus dolor cordi ejus, & quaſi nihil ultrà ſciens facere, diſponit ſe ad patientiam, & omnia Deo committens cum amoroſâ quærimoniâ & reflexione ad Dilectum ſuum, tranquillè ſuſtinet mortem amoris, quaſi nihil potens ultrà facere, ac divinæ Providentiæ totum commendans manet quieta & pacificata in permiſſivâ voluntate Dei.

Illius mors amoris.

CAPUT XXXV.

Per frequentes actus abnegationis, & mortificationis acquirit anima habitum, quaſi ſpiritualiter mortua, & inſenſibilis facta in incommodis, injurijs, obloquijs, &c. ad quod fortis Dei dilectio multùm juvat; de nullo conqueritur, non ſentit malum ſuum, nec attrahit ſeipſam.

Quomodò acquirendus habitus abnegationis.

IN hoc ſpiritu abnegationis, mortis amoris, & ſui in Deo reſignationis fit, ſicuti in materiâ aliarum virtutum; n. quod per heroicos & continuatos actus abnegationis, &c. paulatim in animâ generetur habitus ad ſimiles actus facilitans, & cum magnâ ſuavitate & efficaciâ inclinans; ità ut quaſi vertatur in naturam; ſeu in animâ oritur habitualis quædam facilitas, & ſuavis inclinatio ad ſimiles abnegationes, mortes amoris, &c. ità ut nullam negligat occaſionem, eaſque exerceat quaſi ſinè reflexione aut advertentia, velut naturaliter; atque tunc paulatim acquirit perfectiores & perfectiores proprietates alicujus mortui, v. g. fit magis & magis inſenſibilis ad omnia, in quibus natura vel ſpiritus magnam ſolebat experiri difficultatem, illa enim vix ampliùs ſentit.

Proprietates animæ ſibi & mundo mortuæ.

Alij eam mirantur, quod poſſit ſinè quærimonia pati penuriam, famem, ſitim, calorem, frigus & omnis generis incommoda, abſque eo quod deficiat, vel ſuccumbat, cum ſpiritûs alacritate, quaſi nihil ſentiret; ſed non eſt mirum; natura enim illis quaſi mortua eſt; non quærit ſeipſam, non attrahit ſeipſam ampliùs, & ideò iſta omnia acceptat tamquàm ſibi non contraria, & veluti talia, quibus natura eſt aſſueta; ideoque non incidit ipſi, conqueri, eò quod incommoda vix ſentiat; uno verbo per frequentatos actus abnegationis, & omnis commoditatis abdicationis, amore Dilecti, in illis ſecundùm naturam eſt quaſi mortua, & conſequenter quaſi inſenſibilis; ad quod ei plurimùm juvat ardor divini amoris,

Inſenſibilis facta in patiendo injúrias, &c.

Iuvat ardor amoris.

Digitized by Google

amoris, qui ſuaviter in illâ ardens ſuppeditat vires, quò fit, vt omnis illi difficultas videatur levis, labor ſuavis, & quidquid eſt moleſtum, facile, ſuprà naturalem complexionem; pro ut ſæpè contingit in febricitantibus, quos ardor febrium reddit ſolito fortiores & in pœnis inſenſibiliores. Dat vires.

Alij mirantur, quomodò talis anima non magis attrahat, vel ſentiat injurias, obloquia injuſta, improperia, contemptus, humiliationes, perſecutiones, magnas ariditates, internas anguſtias & preſſuras, &c. cur ſe non defendat, excuſationes prætexat, quarè ſe non opponat, cur non conqueratur, &c. ſed debent ſcire, id provenire ex quâdam inſenſibilitate in tali animâ cauſatâ ex habituali morte ſpiritûs, ex acquiſito habitu abnegationis ſui-ipſius; undè fit, quod ad iſta omnia parùm attendat, & vix iſta ſentiat; eſt enim de numero illorum, *qui in Domino moriuntur*, id eſt, qui per frequentes agonias amoris pervenerunt ad ſtabilem mortem amoris propter Deum in omnibus, quæ propriam illorum perſonam concernunt; ità ut ſibi & omnibus extrà Deum mortui, in ſolo Deo propter Deum, & cum Deo vivere incipiant quaſi extrà ſeipſos. Inſenſibilitas in malis tolerandis. In Domino mortui.

CAPUT XXXVI.

Quomodò anima abnegata communia negocia Communitatis ſibi attrahere & gerere debeat.

DIxi, *in omnibus, quæ propriam illorum perſonam concernunt*; nam quandò aliquid tangit officium animæ abnegatæ, vi cujus obligatur bonum commune defendere & manu-tenere, ibi ſubindè, etſi contrà innatam quaſi inclinationem, tenetur ſe aliquibus fortiter opponere, imò etiam ingredi viam juris, ad præcavendum commune malum & bonum promovendum, ità tamen ut procedat fortiter & ſuaviter; *ſuaviter* quidem, ſinè paſſione, ſinè exprobratione, ſinè amaritudine, ſinè diminutione famæ vel vilipenſione aliorum, contrà quos agit; *fortiter* verò, id eſt, cùm bono fundamento certarum rationum, cum maturo conſilio, & pondere agendo, ſinè dolo, ſinè fraude, bono modo, & medijs licitis; vel potiùs, commune jus proſequendo, bono Zelo, & purâ intentione, *non quærendo quæ ſua ſunt, ſed quæ multorum*, ſolummodò ex deſiderio tuendi juſtitiam, vel innocentibus patrocinandi, vel malos coercendi, & Communitatis bonum pro ſuâ obligatione procurandi & augendi. Quomodò anima abnegata defendat commune bonum. Fortiter & ſuaviter. Non quærit, quæ ſua ſunt. 1. *Cor.* 13. 5.

Illi etiam advigilandum eſt, ut in proſecutione juris communis & in functione officij ſui, conſervet ſimplicitatem, nec amittat pacem & unitatem Servat ſimplicitatem cordis in functione officij.

Digitized by Google

tatem cordis, ſibi cavendo à nimiâ vivacitate, propriâ activitate, anxietate, & animi inquietudine; nam alioqui pacem internam ſervare non poſſet, ac magnam incurreret turbationem cum magno præjudicio ſpiritualis ſui profectûs, & cum *Marthâ* mereretur audire correptionem Chriſti, *ſollicita es & turbaris ergà plurima, porrò unum eſt neceſſarium.*

In caſu mali ſucceſſûs manet quieta.

Etiamſi videatur habere ſummum jus, non debet inquietari vel ſtomachari, dum non ſuccedunt omnia pro voto, nec poteſt cum amaricatione, vel diminutione loqui de parte adverſâ, ſed hoc à divinâ Providentiâ accipiendum eſt, quæ omnia diſponit in meliùs, & non rarò negotia contrà jus decidi permittit, ſivè ad probationem Electorum, ſivè ob alias rationes ipſi notas, propter quas diſpoſitio divina adoranda eſt, & omnia ipſi committenda, ut eveniat, quidquid ipſi meliùs viſum fuerit, etſi tenderet ad extremam ejus humiliationem & afflictionem.

Accipit de manu Dei.

Tranquilla in adverſis.

Si fortè, non obſtante optimo ſuo jure, omnia illi contrariari videantur, id tranquillo animo debet ſuſcipere, ſibi rata ſufficere, quod ſciat, & conſcientia dictet, ſe tantùm deſiderare juſtitiam, & laborare pro communi bono, ſimpliciter & præcisè, ut ſatisfaciat obligationi officij ſui, de cætero divinæ Providentiæ committendo, an ſuus labor habebit bonum ſucceſſum, an ſtudium & conatus ſortjentur optatum finem, nec ne; id quod per ſpiritum abnegationis dimittere & ſine anxiâ reflexione tranſire debet; ſiquidem tantùm obligatur uti medijs convenientibus ad hoc, ut ſatisfaciat officio ſuo & conſequenter divino beneplacito: quo facto, plenè ſatisfecit, & poteſt manere quieta; ac in caſu mali ſucceſsûs, ejus ſolatium eſſe debet, cogitare & poſſe dicere, feci, quod potui & debui; ſi Deo viſum fuerit permittere me affligi, vel juſtæ prætenſioni noſtræ non coôperari; ipſe novit, quare? ſit ipſe benedictus; ego ſatisfeci.

Cum reſignatione in Deo.

In malo ſucceſſu manet contenta.

Quomodò cum adverſatijs agendum.

Ideò etiam debet omnia æquo animo accipere, nec ei licet de alijs malè loqui, alijs iraſci, aut indignari; ſed debet vel credere, quod ratione rectæ intentionis fortè apud Deum excuſentur, vel orare, ut Deus illis dignetur concedere gratiam, quâ ad ſe redeant, & omnia diſponere in meliùs ad majorem ſuam gloriam & ſalutem animarum, utpotè cùm noverit & ſoleat etiam ex malis elicere bonum.

Fungitur officio in ſpiritu abnegationis.

Sic faciendo, pia anima functionem ſui officij & quaſcumque externas occupationes ſuò ſtatui & vocationi, ac conſequenter divino beneplacito conformes poterit ſubire in ſpiritu abnegationis, mortificationis, reſignationis, & indifferentiæ, nihil in ullâ re proprium quærendo, aut intendendo, ſed ſolùm commune bonum, & in eo dumtaxàt majorem Dei honorem, gloriam & amorem; nihil intereà omittendo vel negligendo eorum, quæ, prævio ſano conſilio, videntur poſſe conducere ad intentum, & cætera omnia ac ſeipſam paternæ Dei Providentiæ plenariè committendo,

Intendit beneplacitum Dei per media ordinata.

Digitized by Google

482

mittendo, cum præparatione animi & indifferentiâ ad omnem eventum, ſivè bonum, ſivè malum, ſivè intentum, ſivè non intentum, pro ut ipſa diſponere & permittere voluerit; hoc quippè modo convenienter poterit pacem & quietem internam conſervare, quidquid evenerit.

CAPUT XXXVII.

Perfecta abnegatio facit animam mori naturæ, & mundo; quinam ſint in Deo mortui cum Chriſto, & ſepulti; à Mundo reputantur mortui, & ut tales abjiciuntur; ſed ipſi non curant, quia ſunt quaſi inſenſibiles & ſepulti, diſpoſiti, ut reſurgant ad vitam divinam.

ABnegatio, de quâ in hoc Tractatu agimus, efficit, ut anima perfectè moriatur corruptæ naturæ, & omnibus, in quibus natura propriam vitam habere poteſt, id eſt, facit, ut anima ſeparetur, alienetur, & quoad proprij amoris affectum abſtrahatur à ſeipſâ, & ab omnibus, quæ ſunt extrà Deum, vel non Deiformia; & quia hæc mors exercetur propter amorem, ex amore, & in amore Dei, & conſequenter, hoc ſenſu, in Deo; non incongruè anima abnegata dicitur *mortua in Domino*; tales videbat in ſpiritu Sanctus Evangeliſta Ioannes, dum ſuum de illis ſenſum exprimens dicebat, *beati mortui, qui in Domino moriuntur*, utiquè per voluntariam & continuam mortem amoris, de quâ hactenùs multa diximus; ad quales etiam clamat Apoſtolus, *mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum* CHRISTO *in Deo*; iſti ſunt, *mortificationem* CHRISTI *in corpore ſuo circumferentes*; hi ſunt *mortui peccato*, id eſt alienati, & ſecundùm affectum ſeparati & remoti à peccato, à pravis naturæ concupiſcentijs, & ab omni, quod ad peccatum poſſet allicere; quales etiam cum Apoſtolo dicere poſſunt, CHRISTO *confixus ſum Cruci*. Item *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*; imò ſunt *mortui mundo*, id eſt, à mundo reputati ut mortui, eò quod nullatenùs ampliùs vivant in aliquâ re mundi, nec affectum retineant ad aliquid, quod in mundo eſt, de quibus ait Sapiens, *viſi ſunt oculis inſipientium mori, ipſi autem ſunt in pace*; vel potiùs ipſi ſunt mortui mundo, ſeu inter mortuos computati, atque ideò ſæpè fit, quod mundus eos contemnat, pedibus conculcet, abjiciat, alicubi in angulo ponat, imò quaſi horrorem & averſionem ab illis habeat; at quid eſt mirum? à mundo reputantur ut mortui, & naturale eſt, abhorrere à mortuis, eoſque ſeponere & ſepelire.

Vera animæ abnegatio.

Mortui in Deo, morte amoris.

Apoc. 14. 14.

Coll. 3. 3.

2. *Cor.* 4. 10.

Rom. 6. 2.

Mortui peccato.

Gall. 2. 19.

Mortui mundo.

Sap. 3. 4.

reputantur mortui à mundo.

Digitized by Google

Salvator de his videtur loqui, dum ad Diſcipulos ſuos ait, *ſi mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit*, ut ſciamus, eſſe ſignum præcedentis mortis mundo, quandò mundus, id eſt, homines ſecundùm mundum, non ſecundùm Deum, ſecundùm carnis deſideria, non ſecundùm ſpiritum viventes, incipiunt nos odiſſe, à nobis averſionem habere, & nos libenter ſepelirent, id eſt, in aliquem angulum retruderent, tamquàm ad nihil utiles, vel idoneos.

Joan. 15. 18.

Bonum ſignum à mundo ſperni.

Qui tali modo repudiantur, & velut mortui ab alijs ſecundùm corruptam naturam viventibus ſe quaſi pedibus calcari voluntariè patiuntur, velut facti inſenſibiles in injurijs, in opprobrijs, in perſecutionibus; ità tamen, ut intereà per frequentes & fideles agonias amoris, per continuas abnegationes & mortes amoris, meruerint aſcribi numero eorum, qui in Domino moriuntur; ità ut vix ſentiant injurias, afflictiones, preſſuras, in ſignum, quod CHRISTO confixi ſint Cruci, & ipſi commortui; iſti etiam *ſimul cum* CHRISTO *ſepulti ſunt*; ſed cum animâ CHRISTI ſepulti ijs dicere licet, *caro mea requieſcit in ſpe*; utique ſuo tempore reſurgendi *in novitate vitæ* divinæ; nam reverà nemo eſt magis idoneus, & proximiùs diſpoſitus, ut à Deo velut à Spiritu vivificante poſſideatur, & animetur, dirigatur, & in omnibus viribus & membris ſuis divinam & ſupernaturalem patiatur operationem, & hoc ſenſu in Deo reſuſcitetur, & in novitate vitæ reſurgat, & ambulet, utpotè qui ſit mortuus in Domino, qui ex purâ dilectione Dei ſeipſum in omnibus perfectè didicerit abnegare, & corruptæ naturæ, & omnibus, quæ in mundo ſunt plenè mori; etenim tales ſunt quaſi materia proximè diſpoſita ad recipiendam formam divinam; tales ſunt optimè formati, ut parati, ut Deus in eos ſpiret *ſpiraculum vitæ* divinæ, ut fiant *in animam viventem* in Deo; ità ut de illis dicere liceat, *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*; Item *fecit Deus hominem* talem *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, ut deinceps vivat vitam divinam.

Rom. 6. 4.

Pſalm. 15. 9.

Rom. 6. 4.

Mundo mortui ſunt diſpoſiti ad vitam in Deo.

Gen. 2. 7.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII.

Animæ bonæ voluntatis reſolvunt ſe ad continuam mortem & abnegationem; quomodò id faciant; mors ſpiritûs conſtat labore; quo ſenſu anima propter Deum & in Deo perdenda, ut inveniatur; naturæ & creaturis moriendum cum Chriſto, ut ſimul cum ipſo vivamus.

MUltos invenire eſt, qui audientes loqui de fælici morte amoris ſpiritualium animarum & de earum ſummè deſiderabili reſurrectione ad vitam divinam, optant iſtam mortem tranſijſſe, quocircà facilè dicerent cum Apoſtolo Thomâ, *eamus & nos, ut moriamur cum illo*; vel cum pſeudo-Prophetâ Balaam, *moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia*; & videor videre multos, qui exoptant, & dicunt cum Sanctiſſimo Patre noſtro Prophetâ *Eliâ*, qui olim *petivit animæ ſuæ, ut moreretur*; nam reverà multæ bonæ animæ jam firmiter reſolutæ, ut deinceps omni ſtudio & conatu ſatagant ducere vitam verè ſpiritualem & divinam, & maturè conſiderantes ſe talem vitam non poſſe aſſequi, niſi præcedat mors ſeu perfecta abnegatio & mortificatio totius veteris hominis, petunt animæ ſuæ, ut libenter ſe diſponat ad illam mortem, id eſt, cum bonâ ratiocinatione proponunt ſpiritui ſuo & naturæ, quàm ſit abſolutè neceſſarium, ſui abnegationem cordi habere, ac mori omnibus rebus creatis, in quibus ſpiritus & natura hactenùs extrà Deum, cum inordinato affectu, & adhæſione ſolebant vivere; in omni occaſione ſe mortificandi, ſe abnegandi, ſibi, vel alicui rei moriendi, in omni occaſione agoniæ ſpiritualis, petunt animæ ſuæ, id eſt, pravæ ſuæ concupiſcentiæ, aut amori proprio, quo anteà malè informabatur, ut velit cedere, ſeſe ſubmittere, ſicque mori, ſeu ab omni inordinatione ſeparari, amore Dilecti; ſi oculi velint ad aliqua curioſa, indecentia, vel inutilia evagari; ſi aures ad illicita vel vana auſcultare, ſi tactus mollibus vitioſè recreari, guſtus delicatis paſci, lingua ocioſa, vel vana, vel charitatis læſiva loqui deſideret, & ſic de alijs, tunc ab oculis, ab auribus, à tactu, guſtu, linguâ petere oportet, ut ſe mortificent, & inordinatæ in illicitis ſuis objectis vitæ ſpontè renuncient propter amorem Dei.

> Multi cupiunt eſſe mortui & in Deo vivere.
>
> Ioan. 11. 16.
>
> Num. 23. 10.
>
> 3. Reg. 19. 4.
>
> Reſoluti ad mortem amoris.
>
> Quo ſenſu cum Eliâ animæ petant ut moriatur.
>
> In omni occaſione ſe mortificandi.
>
> In quinque ſenſibus.
>
> Quomodò mortificandi.

Verumtamen ſciendum eſt, quod anima ad iſtam continuam abnegationem & mortem amoris pervenire nequeat, ſinè longâ & tædioſâ agoniâ, niſi diu luctetur cum morte, & longanimiter maneat in extremis, præ-

> Mors amoris conſtat labore.

Digitized by Google

præſertim quandò natura adhuc in multis affectatè vivit, & adhuc inordinata in paſſionibus, indomita in pravis concupiſcentijs, immortificata in ſenſibus, & ſpiritus adhuc eſt plenus proprio amore.

1. Cor. 9. 25. — Abſtinentia ab omnibus. — Perfecta abnegatio.

O quàm amara eſt mors amoris, etiam animæ bonæ voluntatis, antequàm eius anguſtias tranſire poſſit! dicebat Apoſtolus, *omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*; quod propriè verificatur in illis, qui intendunt vitam abnegatam & perfectè mortificatam; nam reverà in ſimilibus requiritur abſtinentia ab omnibus illicitis, vel non Deiformibus; tales nulli rei cum adhæſivâ reflexione immorari poſſunt, omnia illis abneganda ſunt, non ſolum quæ ſunt extrà illas, & Deus non ſunt, vel non Deiformia, ſed etiam ſeipſas, & quidquid in ſe eſt, abnegare debent.

Luc. 14. 33. — Mat. 16. 24. — Docetur à Chriſto.

Ideò non ſufficiebat, quod Salvator dixiſſet, *qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, ſed & alibi nos monet dicens, *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, volens nos inſtruere, quod neceſſariò oporteat relinquere nos-ipſos, nobis-ipſis mori, nolle nos-ipſos attrahere vel agnoſcere, & hoc ſenſu abnegare nos-ipſos, & in hoc imitari Chriſtum, n. uti ipſe ſe abnegauit, ſemetipſum exinanivit, annihilavit, ſubiecit, humiliavit, & in manus æterni Patris ſe totùm tradidit.

Mors amoris eſt lucrū vitæ divinæ. — Mat. 10. 36. — Quid ſit perdere animam in Deo. — 1. Tim. 2. — Mori in Deo lucrum. — 2. Cor. 6.

Porrò hæc abnegatio, exinanitio, totiùs veteris Hominis mortificatio, & totalis in Deum reſignatio eſt magnum lucrum; quod Salvator volens ſignificare, dicebat, *qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*; quid enim eſt ſeipſum abnegare, & in incertum committere divinæ providentiæ, quàm animam ſuam perdere in Deo, extrà omnem adhæſivam perceptionem ſui vel aliarum creaturarum, in quantum ſcilicèt aliqua propria in illis quæſitio vel adhæſio colludere poſſet; verum hæc animæ ſuæ in Deo perditio eſt unica via ad inveniendam eam cum vitâ divinâ in Deo; quod aſſeverans Apoſtolus ait, *ſi Chriſto commortui ſumus, & convivemus*; ſi cum Chriſto nos-ipſos abnegando ſubeamus mortem amoris, etiam fiet, vt cum ipſo vivamus vitam divinam; quo ſenſu etiam intelligo illud Apoſtoli, *quaſi morientes, & ecce vivimus*.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

Anima abnegata certo ſenſu etiam Deum abnegare debet, n. in quantum illum quæreret ex amore proprio ad proprium intereſſe; ſolum Deum debet intendere, & non ſeipſam; abneganda complacentia & quies in Deo, qui diligendus eſt propter ſeipſum.

NOn ſolũ anima Deum purè amans debet ſeipſam & omnia creata abnegare, ſed etiam, aliquo modo & ſenſu, Deum ipſum propter ipſum; quo ſenſu etiã ivit in proverbium, *relinquendus eſt Deus propter Deum*; abnegandus itaque Deus, quatenùs anima illi vellet adhærere, eo frui, in tempore vel æternitate, vel in eo iucundari ad ſuam propriam complacentiam, quietem, ſatietatem; nam anima ſic Deum quærens, ſicque Deo adhærens, non intendit aut quærit eum purè & unicè, ſed cum mixtione propriæ quæſitionis, & adhæſivæ ad ſeipſam reflexionis, cum admixtione proprij intereſſe; atque ità eius dilectio ergà Deum non eſt pura, ſed mixta proprio amore, & in ſuâ quiete, ſatisfactione, delectatione non habet purè Deum pro ſuo obiecto & Scopo, ſed etiam ſeipſam.

Quo ſenſu Deus abnegari poſſit.

Amor Dei mixtus.

Imò videtur amorem Dei, fruitionem Dei, & quietem in ipſo ad ſeipſam incurvare ſeu convertere; eo quod v.g. ſibi bonum ſit adhærere Deo & ſic quærit ſeipſam, propriam vitam, quietem, recreationem; gaudium in Deo, vel potius quærit Deum non propter Deum, ſed in proprium commodum, propter propriam vitam, propriam quietem, propriam delectationem; quærit Deum, & fruitur Deo, non ita propter Deum, quàm propter ſe ipſam, & conſequenter ſe ipſam necdum perfectè abnegavit, cum adhuc ſeipſam quærat, & de facto inveniat in Deo; quod non faceret, niſi adhuc intenderet ſe ipſam, & ad propriam in Deo ſatisfactionem reflecteret, ac de propriâ quiete, de proprio bono in Deo invento ſibi complaceret, ſicque ſignum daret, quod ſeipſam adhuc non verè abnegaverit.

Amor proprius trahit amorem Dei ad ſe.

Quærit Deũ propter proprium intereſſe.

Quocircà attendat hîc etiam anima devota, nè in adhærendo Deo, in eo fruendo &c. miſceat propriam quæſitionem, intendendo propriam complacentiam, proprium commodum, propriam quietem, & ſic ſeipſam cum adhæſivâ reflexione pro obiecto & fine habeat; ſed potiùs dum talis ei reflexio, propria ſatisfactio, quies, & proprium bonum occurrunt, tunc anima abnegata reflexionem ad illam vel ad ſeipſam ſtatim dimittat, ſe ab

In adhærendo Deo nemo ſe quærat,

Digitized by Google

illis divertat, & in iſtis per cordialem abnegationem etiam exerceat mortem amoris ſeu diviſionem propriæ ad illa adhæſionis, non aliter nec alio fine in Deo volendo quieſcere, ipſo frui, & in ipſo delectari, quam quia hoc Deus vult, ſic ei placitum eſt, ſic Dei amori ſatisfit; ſic enim fiet, ut perfectè ſeipſam abnegando, totum ſuum aſpectum ad Deum ſecundùm Deum & propter Deum convertat, & ad ipſum unicè & purè propter ipſum converſa maneat, & non ad ipſum, in quantum ſibi eſt bonus, delectabilis, & ſua dona communicans.

Amandus Deus propter ſe.

CAPUT XL.

Quomodò amor Dei ab omni proprio depurandus, & ſolùm propter Deum ſpiritualiter moriendum & vivendum ſit, non propter nos-ipſos; quam perfectè in eo procedendum ſit.

EX iam dictis clarè patet, quod hæc ſit abnegatio ſui, & renunciatio omnium creaturarum, quam Salvator nobis prædicat dicens, *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* &, *qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; nam reverà anima ſequens ea quæ in hoc tractatu ſcripta ſunt, funditùs exſtirparet proprium amorem & quæſitionem abſque ulla voluntariâ vel adhæſivâ ad ſe-ipſam, vel aliquid aliud propter ſe ipſam, vel pro ſe ipsâ reflexione, ſed ſoli Deo adhæreret, ad ipſum unicè converſa maneret, omnia ad ipſum traheret, & ſic in ipſo ſolo extra ſeipſam & extrà omnia creata, id eſt, extrà reflexivam ad ſeipſam, vel aliquid aliud adhæſionem & proprium amorem, viveret.

Vera abnegatio facit in ſolo Deo vivere.

Ad hoc nos hortatur Apoſtulus, dum ait, *nemo ſeipſum quærat*; quid ni? quià *charitas non quærit, quæ ſua ſunt*; quapropter quò charitas Dei magis fervet in animâ, eò hæc minus ſeipſam quærit; & quandò charitas, id eſt, Deus (nam *Deus eſt Charitas*) eam totaliter poſſidet & in omnibus dirigit, tunc exulat omnis quæſitio propria, & anima purè & unicè Deum quærit, ſeu potius Deus ſe ipſum ſolum in animâ quærit; quià autem, durante hâc vitâ, rarò aliquis adeò proficit in Charitate, vt omnem proprium amorem exſtirpet, & ſe ipſum perfectè abneget, ſinè admixtione propriæ alicujus quæſitionis; ideò idem Apoſtolus dicebat ſine ullâ exceptione, *omnes, quæ ſua ſunt, quærunt*, ſc. parùm vel multùm, *& non* purè ac unicè, *quæ Ieſu Chriſti.* Verùm anima, quæ ſeipſam dictis modis abnegaret in omnibus, ac ſibi & omnibus creatis tam perfectè moreretur, poſſet dicere cum Salvatore, *ego vivo*

1. Cor. 10. 24.

1. Cor. 13.

Purus Dei amor excludit omne proprium.

Omnes ſeipſos quærunt.

Phil. 2. 21.

Secùs anima abnegata,

vivo propter Patrem: vel potius de illâ diceret Chriſtus, *ſicut ego vivo propter Patrem, & ipſe vivet propter me*; tali dicere liceret, *propter Ieſum omnia detrimentum feci, & arbitratus ſum, ut ſtercora.* Ioan. 6. 58. Phil. 3. 7.

De Chriſto pronunciat Apoſtolus, *Chriſtus ſemel pro peccatis mortuus eſt, quod autem vivit, vivit Deo*; ac nos exhortans, ut eum imitemur, addit, *ita & vos exiſtimate, vos eſſe mortuos peccato*, id eſt, omni malæ concupiſcentiæ, quæ ad peccatum, vel ad aliquid contrà vel extrà Deum pelliceret, *viventes autem Deo* in Chriſto; non verò vel in minimo vobis-ipſis: ad hanc perfectionem omnes volens perducere, & ſe eorum numero inſertum reputans, dicebat, *nemo noſtrum ſibi vivit, nemo ſibi moritur* mortem amoris; cui ergò? omnia debent fieri propter amorem Dei; ſibi mori, ſe-ipſum planè abnegare, omnia creata abdicare, &c. uno verbo, multiplices mortes amoris (de quibus hactenùs egimus) ſimiliter divina vita in Deo (ad quam reſurgendum eſt) debent expurgari à propriâ quæſitione, à proprio amore, & ſatisfactione; neque enim, dictis modis, licet vivere vel mori ob alium finem, quam propter amorem Dei, nihil prætendendo proprium pro nobis-ipſis; ſed pro ſolo Deo, ad eius ſolius placitum, obſequium & amorem; nam teſte Apoſtolo, *ſive vivimus, Domino vivimus, ſive morimur, Domino morimur; ſive enim vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Rom. 6. 10. Mortui peccato. Soli Deo vivendum. Rom. 14. 8.

CAPUT XLI.

Ad vitam abnegatam neceſſaria eſt ſpecialis gratia, pro cujus continuo influxu ſæpè orandum: natura per peccatum infirmata eſt, plena tenebris & malis inclinationibus: cui ſanandæ lumen gratiæ eſt neceſſarium, eiuſque continuus influxus.

QUantò anima Deum purè amans in exercitio perfectæ abnegationis fidelior eſt, quantò ſtabiliùs & conſtantiùs ſibi & creaturis moritur & ſinceriùs in puro Dei amore vivere ſatagit; tantò clariùs & certiùs cognoſcit ſe in illis non poſſe pergere & perſeverare, ſinè continuis & efficacibus gratijs, quæ eam confortent, ut ſic Chriſtum ſequatur; ideò dicebat Salvator, *nemo poteſt ad me venire, niſi Pater meus traxerit eum*; Sponſa canticorum hoc benè ſciens, & tamen unicè deſiderans currere poſt veſtigia Dilecti ſui; per vias abnegationis, eius implorabat auxilium dicens, *trahe me poſt te, & curremus in odorem unguentorum tuorum.* Specialis gratia ad vitam abnegatam neceſſaria. Ioan. 6. 44. Cant. 1.

Et reverà gratiæ ordinariæ non videntur hîc ſufficere, ſed requiruntur for-

Ordinariæ gratiæ non ſufficiunt.

fortiores, quæ animam efficaciter trahant, & indeſinenter urgeant: quocircà anima ad continuam mortem amoris totaliter reſoluta, & ſe ad eam non ſatis robuſtam agnoſcens, frequenter cum omni humilitate ſupplicat pro eius aſſiſtentiâ, quò fortiter & continuò iuvetur in omnibus mori, eius amore; eſtque plena bonis deſiderijs, ut iuvetur, & plena diffidentiâ ſui cordialiter fatetur, ſeſe facilè defecturam, in multas inperfectiones lapſuram, & vitam corruptæ naturæ reſumpturam & futuram, niſi fortis, & continuò adducens & urgens influxus gratiæ eam adigat, mentem illuminet, memoriam refricet, & voluntatem efficaciter moveat.

Orandum pro maiori gratiâ.

Fragilitas naturæ.

Heu fragilitas humana eſt ineffabiliter magna! verè non eſt currentis, neque ſimplicis bonæ voluntatis, ſed miſerentis & fortiter adiuvantis Dei, perſeveranter ambulare viam abnegationis, & mortis amoris; etenim tot requiruntur gratiæ excitantes & coôperantes, quot dantur occaſiones agoniæ & mortis amoris, quales ferè de momento in momentum habemus obvias; alioqui oblivioſitas corruptæ naturæ tanta eſt, ut, licèt per claras & ſpeciales illuminationes omnem veritatem cognoviſſemus, & diſtinctè didiciſſemus, in quibus Dei beneplacitum ſitum ſit, quarè hoc vel illud faciendum ſit vel omittendum, quomodò pro maiori perfectione, & ex puro Dei amore operandum ſit, his non obſtantibus, eorum brevi poſt, obliviſcamur, & bona ad iſta inclinatio facilè evaneſcat; niſi Deus miſericors, Deus clemens, noſtræ fragilitatis conſcius, *qui cognovit figmentum noſtrum*, novo gratiæ lumine memoriam irradiet, intellectum clarificet, & voluntatem de novo piè moveat, nec ſolum det velle, ſed etiam perficere, & actu iuvet operari; ità ut fidelis noſtra coôperatio dependeat ab influxu continuatæ vel continuò novæ gratiæ, illuminationis & piæ motionis.

Gratiæ actuales neceſſariæ in omni occaſione.

Vndè oblivioſitas animæ.

Influxus gratiarum neceſſarius.

Intellectus obtenebratus indiget lumine.

Voluntas piâ motione.

Nec mirum; quià mens noſtra ratione peccati originalis tenebris ignorantiæ plena eſt, & niſi Sol Iuſtitiæ eam continuò irradiet, manet in obſcurâ nocte oblivionis; cum ex ſe nullum gratiæ lumen habeat, plus, quàm illi à Sole Iuſtitiæ communicatur; ità ut in ſuâ illuminatione dependeat à gratioſis huius divini Solis radijs, ſicut mundus ab ortu & lumine Solis naturalis; deindè ratione fomitis peccati voluntas noſtra ad omne malum eſt inclinata, ità ut non diutiùs ad bonum erecta maneat, quàm per motionem gratiæ fortificantis, excitantis & adiuvantis erigatur & erecta teneatur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLII.

Noſtræ quotidianæ fragilitates impediunt influxum gratiarum, quæ debent eſſe efficaces, ut corruptam naturam in Deo erectam teneant per continuam abnegationem in omnibus; ad hoc nitendum eſt, & pia deſideria fovenda, ad quæ etiam gratiâ opus eſt; ideò maneamus in noſtro nihilo, ut Deus omnia per ſe faciat.

HÆc aſſidua divinæ gratiæ irradiatio, & conſequenter ſtabilis ac pia motio nobis non deficerent, niſi innata noſtra fragilitas eſſet tanta, ut gratiæ influxum impediat, cauſando quaſi condenſam nebulam inter nos & Deum per quotidianas imperfectiones; ità ut niſi Sol Iuſtitiæ per gratiam & dignationem ſpecialem hanc nebulam efficaciter perfringat, evaneſcere faciat & conſumat, ſtabilem illam illuminationem & excitantes gratias nunquam aſſequemur. *Imperfectiones faciunt nebulam in animâ.*

Vndè etiam provenit, quod quidem utcumque videamus veritatem, & ſciamus, quæ nobis ſint agenda & omittenda, ſed tenebroſè, quaſi per denſam nebulam; quâ ex cauſâ etiam voluntas noſtra non efficaciter excitatur & movetur, ſed tantùm ſufficienter; atque ità, quidem vi illius luminis & piæ motionis poſſumus & debemus declinare à malo & facere bonum, vel etiam ad veram abnegationem, & omnium, quæ affectu poſſidemus, renunciationem, conari; adeò ut de illis in die iudicij reddituri ſimus rationem, ſi in coöperando infideles & negligentes fuerimus; ſed, eo quod natura per peccatum ſit infirmior facta, & ſpiritualiter læſa, & potentiæ ſenſitivæ aggravent animam, phantaſia intellectum & fidem obnubilet, appetitus ſenſitivus voluntatem rationalem valdè vivaciter & ſenſibiliter deprimat, ideò numquam vel non niſi valdè difficulter pertingemus ad fidelem & aſſiduam abnegationem noſtri ipſorum & omnium creaturarum, ac ad ſtabilem mortem amoris, niſi Dilectus reſpiciens noſtram humilitatem, laborem, bona deſideria, & conſtantem conatum, vel ex inſtinctu ſui ergà nos amoris commotus, ipſemet clementer corrigat fragilitatem noſtram, diſſipet tenebras inſcitiæ vel oblivioſitatis noſtræ per illuminationem vultûs ſui ſuper nos, & animam noſtram ſtabiliter irradiando, memoriam, intellectum & voluntatem efficaciter ad ſe trahat. *Gratia efficax requiritur ad operandum.* *Anima per peccatum originale læſa.* *Per gratias ſanatur.*

Vbi etiam notandum venit, quod iſtam humilitatem, laborem, bona deſideria, & fidelem conatum non habeamus à nobis ipſis, ſed Dei bonitas debeat *Ad bona deſideria etiam gratia eſt neceſſaria.*

debeat iſta omnia in nobis nobiſcum dignantèr operari; alioqui non ſumus ſufficientes vel minimum quid ſupernaturale cogitare, loqui, vel operari ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia, & multò magis efficacia noſtra ex Deo eſt, conformiter dicto Apoſtoli, *non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; &, eodem aſſerente, *nemo poteſt dicere Dominus* JESUS, *niſi in Spiritu Sancto*, id eſt, niſi cum coöperatione Spiritûs Sancti; verùm, quid hoc eſt mirandum? cum Salvator abſolutè dicat, *ſine me nihil poteſtis facere*? quod, utiquè poſſit conducere, ſeu eſſe meritorium vitæ æternæ.

Sinè gratiâ nil poſſumus.

2. Cor. 3. 4.

1. Cor. 12. 3.

Quicumque hæc maturè inſpicit & ponderat, facilè in ſuo nihilo abſorptus manebit; atque id ipſum ſerviet illi pro calcari & motivo, ut libentiùs, & faciliùs ſeipſum abneget, in omnibus mortificet, & committat ſe in incertum divinæ Providentiæ; cum in ſeipſo nihil prorſus inveniat cognitione, dilectione, & ſtabili propoſito dignum, ſed cognoſcat, & fateatur, quod ſolus Deus equidem in ipſo debeat eſſe, diſponere, dirigere, & operari, ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, omnia, quæ ad finem aliquem ſupernaturalem ſervire poſſunt.

Motivum ſe humiliandi, & Deo committendi.

CAPUT XLIII.

Anima aliquandò illuminatur, ut videat ſupremam perfectionem, ad quam à Deo allicitur, non ut eam ſtatim aſſequatur, ſed ut paulatim ad illam tendat: ſpiritus abnegationis incipit inſtar auroræ, quæ adhuc miſcetur tenebris, ſed ſenſim creſcit uſque ad perfectum diem.

QUandò pia anima hæc omnia benè conſiderat, videtur ſubindè nonnihil cadere animo, eò quod illi incidat, quòd extraordinaria illa, continua & efficax, præveniens, excitans & coöperans gratia detur pauciſſimis, de quorum numero ſe unum reputare, videtur illi temerarium, & ſapere nimiam de ſeipsâ præſumptionem; verùm in hoc periculo puſillanimitatis, hinc indè ſcintillare videtur aliquis radius conſolationis, quo videat, & confidat, Deum optimum maximum ſibi infudiſſe notitiam perfectæ, totalis & univerſalis abnegationis ſui ipſius & omnium creaturarum, quas cum affectu adhæſivo, aut propriâ ſatisfactione poſſet poſſidere, imò etiam rerum cæleſtium, ac divinarum, imò & ipſius met Dei, quatenùs eum in proprium commodum, propriam complacentiam, propriam fælicitatem, uno verbo, cum intentione proprij intereſſe, poſſet diligere,

Tentatio ad puſillanimitatem.

Lumen ad perfectam abnegationem.

Digitized by Google

diligere; aut frui; Item, quod Dei Bonitas tibi dederit cognitionem ſæpè mentionatæ & aſſiduæ mortis amoris, & totalis ſui in incertum divinæ Providentiæ abjectionis, ac reſignationis; non quaſi iſtum ſpiritum ſtatim in ſuâ perfectione debeat habere, ſed ut intelligat apicem perfectionis ejuſdem, ad quam Deus ipſam allicere dignatur, cum intentione eam docendi in ſe ſolo vivere, extrà ſeipſam & extrà omnia creata.

Quæ non ſtatim haberi poteſt.

Intereà ſufficere videtur, quod anima bonæ voluntatis firmiter proponat, omni diligentiâ & fidelitate eò perfectionis tendere, atque iſti gratioſo lumini paulatim magis & magis cor, omneſque vires ſuas aperire; nam ſicuti in omni alio exercitio perfectionis verum eſt illud Sapientis, ***Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectum diem***; ità etiam hîc; nam arctiſſima ſemita præſcriptæ in hoc Tractatu abnegationis, & mortis amoris, eſt in principio quaſi aurora conſurgens, quæ adhuc eſt mixta tenebris in intellectu, imò nonnumquàm oboritur condenſa nebula oblivioſitatis in memoriâ; atque ideò non eſt mirum, quod anima hanc anguſtam ſemitam ingredi incipiens, hinc indè adhuc offendat, ceſpitet aut remoretur; quia per intervalla non videt adhuc clarè, & hinc indè palpat ad viam.

Diſpoſitio ad illam.

Prov. 4. 18.

Spiritus abnegationis incipit ut aurora.

Videtur eſſe ſatis, quod anima devota habeat firmam reſolutionem conſtanter pergendi, & conandi, donec partim acquirat bonam conſuetudinem, quâ abnegationem cum majori facilitate exerceat, partim per fidelem cum divino lumine coöperationem, amplius lumen & efficaciores, magiſque aſſiduos gratiæ motus mereatur, quibus adjuta hanc ſuam reſolutionem conſtanter exequatur, ſicque in ſe tollere poſſit omnia impedimenta iſtius creſcentis auroræ, & illuceſcat perfectus dies, ſivè ſol juſtitiæ in meridie perfectionis, qui diſſipet & conſumat omnem ignorantiæ vel oblivionis nebulam, & animam in puro amore Dei vivere faciat.

Reſolutio ad pergendum eſt neceſſaria.

Dum veniat perfectus dies.

Digitized by Google

CAPUT XLIV.

Etſi anima in initio ſæpiùs deficiat in abnegatione ſui; & indè in ſe percipiat nebulam aliquam, non poteſt eſſe puſillanimis; ſed magis advigilare, ut ad lumen veniat; etiam proprij defectus ſunt materia abnegationis: continuò reincipiendum eſt.

In defectu luminis nil negligendum.

ETiamſi lumen gratiæ circà præſcriptæ abnegationis ſpiritum, non ità inceſſanter nobis affulgeat, ſed ſubindè ad occaſum tendere, vel eclipſim pati videatur; equidem in memoriâ præcedentis luminis cautè procedendum eſt, conando nos magis in multis occaſionibus abnegare, nobis mori, & quaſi cæcè nos in Deum reſignare; quò fiet, ut condenſam nebulam, quæ per quotidianas noſtras imperfectiones foveri ſolebat, paulatim perfringamus, & ceſſare faciamus, donec Dilectus ſe clariùs & ſtabiliùs incipiet manifeſtare, & in ſuo nos lumine jugiter faciet ambulare, ut ipſum ſolum poſſimus contemplari, adhærere & amplecti, abſque ullâ mixturâ inordinati ergà nos-ipſos vel ad aliquas creaturas amoris: ideò dicebat Salvator, *qui ſequitur me*, utique per ſemitas abnegationis ſui, & omnium, quæ poſſidet, *non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.*

Quomodò nebula animæ tollenda.

Joan. 8. 12.

Verùm ſi experiamur, quod innata noſtra fragilitas illud lumen ſæpè obnubilet, & quod illius defectu hinc indè ceſpitemus, ad proprium commodum vel incommodum malè reflectamus, ac iſtâ occaſione frequenter noſtri obliviſcamur in defectibus contrà purum, & defæcatum Dei amorem, ità ut iſtum purum amorem non ſemper habeamus in animo, nec exerceamus, nec ejus imperio ac directione in omnibus agamur, non ideò ſtatim dejiciamur animo; ſed imprimis hoc iterùm capiamus pro materiâ & occaſione agoniæ amoris, exercendo patientiam nobiſcum, & indè captando occaſionem nos totos in Deum transferendi, & committendi, quaſi ex nobis-ipſis nihil potentes: Deindè continuò poſt ceſpitationem ſurgendum eſt, & de novo incipiendum, etſi centies foret in die, ſingulis vicibus, quaſi eſſent primæ, ſinè reflexione, an ſæpiùs deficiamus, an non; niſi fortè aliquandò, ut capiamus indè novam materiam, & occaſionem profundioris humiliationis, abnegationis, & reſignationis in Deum.

Etſi fragiles, tamen cavenda puſillanimitas.

Fragilitas eſt materia abnegationis.

Semper de novo incipiendum.

Etenim ſciendum eſt, quod ſtatus perfectæ abnegationis non ſit opus unius diei, unius ſeptimanæ, unius menſis aut anni, ſed totius vitæ noſtræ

Perfecta abnegatio non eſt opus unius diei.

Digitized by Google

ſtræ, etſi viveremus mille annis, eò quod corrupta noſtra natura ægrè velit intelligere, & ſe reſolvere ad tam totalem, continuam & generalem mortem in omnibus, & quandò jam in multis abnegata & mortua reputatur, alicubi in aliâ occaſione reviviſcit, vires reſumere conatur, ac vitæ propriæ alimentum quærere, nam fomes peccati ſemper evaporat vel multùm, vel parùm, nec umquàm plenè, durante hâc miſerâ vitâ, extingui poteſt.

Natura abnegata conatur reviviſcere.

CAPUT XLV.

Omnes Electi debent ſemel tranſire arctam viam totalis abnegationis, ſivè in hâc vitâ, ſivè in Purgatorio; præſtat hîc illius acquirere habitum: in Cælo nulli proprietarij tolerantur; ibi & in Paradiſo ſeipſos quærentes expulſi ſunt; Deo adhærendum puro amore.

INterim omnes ſcire expedit, quod, velimus, nolimus, ſivè in brevi, ſivè in longo, oporteat neceſſariò pervenire ad ſtatum perfectæ abnegationis, de quâ hactenùs fusè egimus, antequàm ad beatificam Dei fruitionem pertingamus poſt hanc vitam; quam ſi, dùm hic vivimus, negligamus, indiſpenſabiliter in Purgatorio ſtrictiſſimè luemus; ideò conſultius eſt, per continuas agonias amoris, per fidele exercitium abnegationis, & voluntariæ renunciationis, ad hoc tendere, quò ſic bonam de iſtis conſuetudinem ſeu habitum conquiramus, quo acquiſito in gradu intenſo, volupe & jucundum, nedum facilè vel ſinè difficultate, nos-ipſos totos, ab omnibus creaturis, & etiam à nobis-ipſis, affectu ſeparare, omnemque proprium amorem, propriam quæſitionem, propriam quietem, & ſatisfactionem abnegabimus, abdicabimus, & eradicabimus in re obviâ, etiam in ipſo Deo, in quantùm iſtam quietem vel complacentiam in illo, per mixtionem proprij amoris, ad nos-ipſos trahere, & incurvare niteremur.

Semel via arcta ingredienda.

Procurandus habitus abnegationis.

Equidem certum eſt, nullos proprietarios, id eſt, qui aliquid proprium prætendunt, vel intendunt, in Cælo tolerari; *Lucifer* cum ſuis adhærentibus, quærebat ſe ipſum, propriam gloriam & exaltationem ſuprà, vel juxtà Deum, & ecce humilis Archangelus *Michaël* cum ſuis, illos proprietarios ejecit è Cælo; *Adam* & *Eva* quærebant ſeipſos, ambientes fieri ſicut Dij, & ecce unus Cherubinus flammeo gladio eos expulit ex Paradiſo, & uſquè modò cuſtodit viam ad lignum vitæ, ne qui proprietarij,

Nulli proprietarij in Cælo.

Lucifer ideò expulſus.

Adam ideò ex Paradiſo.

ſeu ſeipſos, non quæ Dei ſunt, quærentes, aliquem ad illud aditum poſſint invenire: Salvator noſter olim ejecit ex templo omnes ementes, & vendentes, ut nos doceret, in Eccleſiâ triumphanti in Cælis nullum tolerari, qui in ſuis operibus quærit proprium intereſſe, in ſerviendo Deo quaſi mercaturam exercet, ſolummodò vitando peccata, formidine pœnæ, & faciendo bona potiſſimè propter retributionem; nam licet hæc omnia non ſint mala, ſed bona, tamen antequàm anima potiatur beatificâ viſione Dei, neceſſariò expurganda eſt ab omni proprietate, ſeu propriâ in illis quæſitione, quam ſic Deo inſerviendo miſcuit.

Chriſtus non vult ſeipſos quærentes in Cælo.

Quiſquis in cæleſti Patriâ degit, jam non ſibi vivit, nec in ſeipſo, ſed unicè Deo & in Deo; nam ſi Apoſtolus talem vitam à nobis requirit in viâ, admonens, quod nemo poſſit ſibi vivere, ſed illi, qui nobis mortuus eſt; quantò magis in Patriâ: cum autem Salvator dicat, *qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus*; conſtat abnegationem planè eſſe neceſſariam ſi velimus eſſe CHRISTI Diſcipuli, & conſequenter pervenire ad regnum Cælorum.

Beati ſoli Deo vivunt non ſibi.

Luc. 14.

Faxit Deus, ut quæ, Deo, ut ſpero, inſpirante, in hoc Tractatu ſcripta ſunt de cordiali abnegatione ſui, ſeu de morte & annihilatione corruptæ naturæ ex motivo puriſſimi amoris Dei, coôperante ejus gratiâ, fideliter exequamur, quatenùs nobis ipſis & omnibus creaturis perfectè mortui, in ſolo Deo amoroſè vivere mereamur, quod in nobis operentur merita CHRISTI, per interceſſionem Matris amabilis, quæ ſit benedicta in ſæcula. Amen.

Concluſio hujus Tractatûs.

Finis Tractatus primi.



PRO-

Digitized by Google

PROLOGUS.

IN præcedenti Tractatu de abnegatione ſui, & omnium creaturarum, conatus ſum inſtruere, quomodò conformiter doctrinæ Chriſti oporteat ſeipſum abnegare in omnibus, & renunciare cunctis creaturis, oſtendens, qualiter & quibus modis id in praxim redigendum ſit, præcipuè per continuas mortes amoris, quas Charitas Dei debet in animâ exercere: Deindè conſequenter practicè oſtendi, quomodò & in quibus occaſionibus, in quibus materijs, & quandò, hæc mors amoris poſſit & debeat executioni mandari, tàm in naturalibus, quàm in ſupernaturalibus, imò etiam divinis.

Cum autem hæc mors amoris ſit via & introitus ad vitam amoris in Deo; dicente Apoſtolo, ſi mortui ſumus cum Chriſto, credimus quià etiam vivemus cum Chriſto; ✱ ut quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis, ità & nos in novitate vitæ ambulemus, *n. poſtquàm fuerimus mortui peccato, & omnibus, quæ ad peccatum inducere poſſunt; Ratio poſtulare videtur, ut abſoluto jam Tractatu de morte ſpirituali, hîc alterum Tractatum ſubnectam de* Vitâ in Deo, propter Deum, *ad quam dicta mors, veluti diſpoſitio proxima ordinatur; quamvis enim in illo Tractatu hinc indè fecerim mentionem de* Vitâ in Deo, propter Deum, *demonſtrando, quod jugis mors amoris, ſeu totalis abnegatio, & perditio ſui-ipſius in Deo, tendat ad certam inventionem vitæ in Deo; attamen mihi viſum eſt, hic addere expreſſum Tractatum, quo latiùs & magis propriè*

Mors amoris eſt via ad vitam amoris.

Rom. 6. 8.

Ibid.

detegam

Digitized by Google

detegam Vitam in Deo, propter Deum, *& oſtendam, quomodò illa ſit practicanda.*

Vbi etiam advertendum eſt, me ſupponere, quod hæc Vita in Deo, propter Deum, *etiam debeat eſſe Deiformis & divina, eo modo, quo egi in* Introductione in terram Carmeli *Tractatu* 3. *&* 4. *ità ut vita, quam hîc commendo, debeat eſſe* Deiformis, *id eſt Dei beneplacito conformis*; divina, *id eſt, à divino Spiritu, ſeu Dei gratiâ operata* (*uti in iſtis Tractatibus oſtendi*) *& prætereà*, in Deo, propter Deum, *ſenſu & modo in hoc Tractatu, cum Dei gratiâ explicandis*; *ſiquidem hæc verba*, in Deo, propter Deum, *innuunt multò majorem perfectionem, quàm hæc ſola*, Deiformis & divina; *nam multi quidem vivunt vitam utcumque Deiformem & divinam, faciendo ſemper, quæ Deo ſunt placita, idque coöperante gratiâ ſupernaturali, quæ ad opera Deiformia ſemper eſt parata*; *ſed pauci ſic vivunt purè & ſtabiliter* in Deo, propter Deum, *prout hîc patebit, dùm innotuerit, quid ſit vivere* in Deo, propter Deum.

Quæ ſit vita Deiformis & divina.

Vita in Deo, propter Deum addit perfectionem.

Miſcebo etiam diverſos modos & praxes internæ orationis, reperiri ſolitas in animabus, quibus Vita in Deo, propter Deum *cordi eſt.*

Denique, quià noſtra intentio eſt enutrire non ſolùm filios Dei, ſed etiam filios Matris amabilis, quales decet eſſe omnes Electos; *intendo etiam oſtendere, quomodò* vita Deiformis & divina in Deo, propter Deum *etiam poſſit eſſe* Mariæ-formis, *ſeu Mariæ beneplacito conformis*, Mariana, *ſeu à Mariæ ſpiritu exercita*, in Mariâ & propter Ma-

Intentio gignendi filios Mariæ.

Digitized by Google

Mariam; *ita tamen, ut amor Dei, & divinus Spiritus omnia operetur, & faciat fluere ex Deo, in Deo & ad Deum tamquàm principium, medium & finem omnis vitæ & mortis, abſque ullo impedimento, mediatione, vel diminutione puriſſimi amoris Dei; ſolummodò ex toto cordis affectu deſidero, ut omnes hunc Tractatum lecturi, à Deo habeant gratiam, veritatem clarè percipiendi, & fideliter practicandi, per interceſſionem Matris amabilis. Amen.*

Digitized by Google

TRACTATUS SECUNDUS
DE VITA DIVINA
IN DEO PROPTER DEUM.

CAPUT I.

Via ad vitam in Deo eſt continua ſui ipſius mortificatio, & omnium creaturarum abdicatio; menſura moriendi eſt menſura vivendi in Deo.

Abnegatio eſt via ad vitam in Deo.

QUandò Dei Bonitas vult animam paulatim perducere ad veram vitam in Deo, hinc indè ipſi immittit aliquem radium, quem ſi fideliter ſecuta fuerit, experietur ſibi ad illam vitam aperiri viam; quamquàm lumen iſtud in principio ſatis ſobriè reluceat, velut aurora conſurgens, ità ut vix videat, quò vergat, ſed ſi ſit fidelis, lumen iſtud creſcet, & de facto, illo mediante, incipit videre, quod via ad vitam divinam in Deo, ſit aſſidua abnegatio ſui & omnium creaturarum; & reverà ſic eſt; nam dùm anima ſibi & omni creaturæ mortua eſt, id eſt, re ipsâ ſeparata ab omni inordinato ad ſeipſam, vel ad aliquam creaturam affectu, tùm ingreditur januam vitæ in Deo.

David moritur, ut in Deo vivat.

Pſalm. 43. 22.

2. Cor. 4.

Etiam Apoſtolus.

Chriſtus vivebat in Patre.

Joan. 14.

in iſtum finem moriebatur Regius Propheta totâ die, dùm ad Dominum clamabat, *propter te, ô Domine,* id eſt, ut in te ſolo vivamus, *mortificamur totâ die*; huic exemplo ſe punctualiter conformabat Apoſtolus, dùm ſcribebat, *ſemper nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter* JESUM; annè erat, ut per illam continuam mortem aſſequeretur, etiam in hoc mundo, vitam in Deo? utique; addit enim, *ut & vita* JESU *manifeſtetur in corpore noſtro mortali*; atqui vita JESU erat vita in Deo, Patre cœleſti, prout ipſemet teſtatur, *an non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt*? ergò quandò Apoſtolus ſe ſemper in mortem tradebat, id faciebat, ut per illam continuam mortem poſſet hæreditare vitam JESU, & conſequenter vitam in Deo; ad noſtrum omnium exemplum, nè etiam nos pigeat, ſemper mortificationem JESU in corpore noſtro circumferre, ſemper in mortem tradi, nos-ipſos ad continuam hominis interioris & exterioris mor-

Digitized by Google

431
mortificationem condemnare, ut & vita JESU in Deo manifeſtetur in nobis.

Ad hoc propoſitum hîc notandum eſt, quod dum Deum quærens anima ſeſe jam aſſiduè tradit ad mortem amoris (de quâ alibi fuſiùs egimus) id eſt, dum jam incipit fideliter practicare perfectam ſui abnegationem, & omnium creaturarum renunciationem; ità ut nec in ſeipsâ, nec in ullâ re aliâ extrà Deum, nec propter ſe, nec propter aliquid aliud, etiam in Deo, deincèps velit vivere; tunc ei detegitur vita abſcondita in Deo, & quò hanc ſuam heroïcam reſolutionem meliùs, fideliùs & magis aſſiduè proſequitur, eò etiam ampliùs & penitiùs ingreditur aliam vitam divinam in Deo, per Deum & propter Deum; nam menſura mortis amoris in omnibus, quæ Deus non ſunt, eſt menſura vitæ in Deo, & quantùm anima ſibi, & alijs creaturis moritur, tantùm incipit in Deo vivere. Menſura mortis eſt menſura vitæ.

CAPUT II.

Homo non eſt ſui juris, ſed Chriſti, qui ipſum emit pretioſo Sanguine ſuo; ideò ſoli Chriſto vivere debet, & ſibi in omnibus mori.

AD hanc vitam divinam in Deo unicè cordi habendam per aſſiduam mortem amoris, anima fidelis plurimùm exſtimulatur, dùm jam radio divinæ gratiæ paulò ampliùs illuſtratur, & altiſſimè menti impreſſum habet, quod non ſit ſui juris, ſed tota ſit Chriſti; ità ut jam cum Sponsâ in Canticis ultrò fateatur, *ego Dilecto meo, & ad me converſio ejus*; quod ut firmiùs capiat, ejus auribus inſonare videntur illa verba Apoſtoli, *neſcitis, quia non eſtis veſtri? empti enim eſtis pretio magno*; quid tunc? igitur *glorificate & portate Deum in corpore veſtro*; id eſt, etiam ſecundùm corpus vivite vitam divinam; ſic vos gerite, ut pateat, Deum in vobis vivere, & manifeſtetur vita JESU in moribus veſtris, ad ædificationem omnium, ut glorificent Patrem veſtrum, qui eſt in Cælis. Homo non eſt ſui juris, ſed Chriſti. Cant. 7. 10. 1. Cor. 6. 20. Obligatio ad ſanctè vivendum.

Hîc jam intelligit anima devota, quod non ſit ampliùs ſui, ſed Chriſti, qui redemit eam pretio immaculati Sanguinis ſui; de quo nos Princeps Apoſtolorum monitos volens, ait, *& ipſi in omni converſatione veſtrâ Sancti ſitis ... ſcientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis ... ſed pretioſo Sanguine, quaſi Agni immaculati Chriſti*: quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores libri Apocalipſios, id benè ſcientes, *ceciderunt coràm Agno ... & cantabant Canticum novum dicentes, dignus es Domine ... quoniàm redemiſti nos Deo* Quia Chriſtus nos redemit. 1. Pet. 1. 18. 19. Apoc. 5. 9.

Sumus Chriſti. *in Sanguine tuo*, & *feciſti nos Deo noſtro regnum*; fatentes proindè ſeſe non eſſe ſui juris, ſed Agnum Dei, Chriſtum, pleno ſuper eos jure potiri, utpotè quos proprio Sanguine coëmerit.

Cùm itàque nos omnes ſimus de numero eorum, pro quibus Chriſtus Sanguinem ſuum fudit; ſic nos oportet gerere, ſicut ad ipſum totaliter & unicè pertinentes; nequè enim ullum in nos-ipſos jus habemus, ſed omne in nos jus competit illi, qui pro nobis fuit crucifixus, & mortuus; equidem in iſtum finem, ut plenum ad totam noſtram vitam jus ſibi vindicaret, Chriſtus mortuus eſt; id nobis teſtatur Apoſtolus, dum ait, *ipſe pro* 2. Cor. 5.15. *omnibus mortuus eſt, ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro illis mortuus eſt & reſurrexit*; ex quo clarè colligere eſt, Chriſtum plenum in nos habere dominium, eoque velle frui.

Gal. 5.24. Vis ſcire, quid nobis ſit agendum? ait Apoſtolus, *qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*: ut ſciamus, quod omnes, qui hanc veritatem cognoverunt, quod nempè ſint Chriſti, debeant facere profeſſionem vitæ mortuæ peccato, & corruptæ naturæ; quatenùs ſecundùm ſpiritum ſoli Chriſto vivant in Deo: ad rem nos etiam monet Dilectus Jesu Diſcipulus, *qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, quemadmo-* Joan. 2. 6. *dùm ille ambulavit, & ipſe ambulare*, utique in novitate vitæ divinæ in Deo.

CAPUT III.

Anima debet Chriſtum juvare in capiendâ poſſeſſione regni ſui, in eoque aſſecurare, vitando peccata, & pravas concupiſcentias mortificando.

Chriſtus vult in nobis regnare. Dum anima illuminata jam probè cognoſcit, Jesum habere ſtrictum jus, cum plenariâ poteſtate, in ipsâ regnandi, ſinè ullâ contradictione vel oppoſitione alicujus potentiæ vel rei ex parte ipſius; tum etiam agnoſcit eſſe ſui muneris, allaborare, ut Jesus capiat plenam poſſeſſionem ſui regni in illâ, quod ipſi tam carò conſtitit; jam etiam intelligit, ſe magnâ Jesum afficere injuriâ, quoties aliquo membro, ſenſu vel potentiâ utitur aliter, quàm juxtà ejus beneplacitum & directionem.

Capit poſſeſſionem in Baptiſmo. Quidem verum eſt, quod Jesus accipiat poſſeſſionem regni ſui in animâ, dum homo Sacro Baptiſmatis fonte regeneratur; quo etiam tempore affigit illi ſua inſignia, in ſignum, quod ad ipſius dominium pertineat, imprimit, inquam ipſi caracterem ſacramentalem, quo deinceps diſcernatur

natur

Digitized by Google

natur à mancipijs ſatanæ, & annumeretur ſubditis Jesu; verùm, dum homo poſteà malè vivit, tum perturbat in ſe regnum Jesu; dum ſequitur legem peccati, Deum mortaliter offendendo, tum rebellionem cauſat Regi ſuo, imò exturbat ipſum de regno ſuo, illudque proditoriè tradit ſatanæ, cujus vice Rex peccatum illud tyrannicè poſſidet, ibique figens ſuam ſedem edit leges contrarias legibus Chriſti; ſatagit etiam uti omnibus animæ viribus, velut totidem rebellibus, ut Regem legitimum exulare cogant; peſſimè interim ſoluit ſtipendiarijs ſuis, nam, teſte Apoſtolo, *ſtipendium peccati mors*; ideò Apoſtolus nos ab hac peccati ſervitute ac tyrannide ereptos deſiderans, dicebat, attendite, ut *non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs ejus; ſed neque exhibeatis membra veſtra*, ut *arma iniquitatis peccato, ſed exhibite vos Deo ... & membra veſtra ut arma juſtitiæ, Deo.*

Expellitur per peccatum.

Peccatum regnat tyrannicè.

Rom. 6. 23.

ibid. n. 12.

Quocircà omnes, qui cupiunt in animâ ſuâ conſervare regnum Jesu, debent indè pro ſemper relegare, non ſolùm omne peccatum mortale, ſed etiam pro poſſe, veniale; licet enim venialia non abſolutè Jesum expellant è regno ſuo; attamen, ſi ibi incipiant nidificare, &dominari per inveteratas conſuetudines, multùm debilitant regnum ejus, illudque paulatim diſponunt, ut ſemel ex improviſo illud prodant, & tradant peccato mortali; præſertim dum homo tepidè, incuriè & negligenter vivit, nec tendit ad perfectionem prout obligatur; tunc enim turbat in animâ ſuâ regnum Jesu per paſſiones indomitas, per diſſolutionem ſenſuum, per evagationem aliarum potentiarum, per motus ſenſualitatis, & ſimilia; per hæc enim ponitur impedimentum, nè leges Jesu, v. g. quoad humilitatem; manſuetudinem, patientiam, benignitatem, charitatem, obedientiam & alias virtutes, inveniant locum, & conſequenter, ne Jesus in directione regni ſui, liberè poſſit agere, quin potiùs in illâ interturbatur & impeditur.

Vitanda etiam venialia, ut aſſecuretur regnum Ieſu.

Venialia diſponunt ad mortalia.

Ideò anima bonæ voluntatis ſatagere debet, ut ſuum hominem exteriorem & interiorem in omnibus continuò mortificet, moderetur, & rectè ordinet; ut paulatim magis & magis corruptæ naturæ rebellione ceſſante, omnibuſque vitiorum nidulis expurgatis, Jesus abſque periculo internæ proditionis, cum plenâ libertate in ipsâ regnet, & in ſuo regno perfectè aſſecuretur; equidem quamdiu natura manet ità immortificata, ſemper ſubeſt periculum, nè per aliquem conſenſum in peccatum, Jesus ejiciatur de regno ſuo; eò quod tunc caſtellum animæ, quaſi ab intùs facilè prodatur per conſenſum in aliquam gravem tentationem, quamdiù effrenes paſſiones, & pravæ concupiſcentiæ adhuc ſinuntur vivere; hæ enim ſunt hoſtes domeſtici, qui cum hoſtibus externis correſpondentiam foventes, cum mundo & diabolo mutuas intelligentias habentes, facilè il-

Sinè continuâ mortificatione periclitatur regnum Ieſu.

Digitized by Google

lis præbent manus, & aliquem ad animam intrandi aditum aperiunt, dum minùs cogitat.

CAPUT IV.

Vlterior inſtructio, quomodò anima debeat JESUM *juvare in ſuo regno per pœnitentiam, & in eo confirmare per exercitia mortificationum.*

Quomodò Ieſus in ſuo regno ponendus.

DUm Rex aliquis cupit adire poſſeſſionem ſui regni, ab altero injuſtè poſſeſſi, declarat bellum inimicis ſuis, & gaudet invenire aliquos, qui ei ferant ſuppetias, & aſſiſtant in regno intercipiendo: Chariſſime; Deus Pater omnipotens ab initio creaverat hominem & multis donaverat gratijs ac prærogativis, conſtituens eum quaſi vice-Regem totius univerſi *ut præeſſet piſcibus maris, & volatilibus Cæli, & beſtijs, univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terrâ*; ità tamen, ut dum omnia iſta ipſius ſubeſſent dominio, ipſe ſubjiceretur imperio & dominio Dei, atque in hujus ſubjectionis recognitionem, ſolummodò abſtineret à comeſtione ligni ſcientiæ boni & mali; *de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas.*

1. Gen. 26.

Homo creatus ut eſſet vice-Rex univerſi.

Gen. 2. 17.

Diabolus invidet homini.

Quamdiù Adam erat in ſtatu innocentiæ, Deus perfectò potiebatur in hominem dominio, & homo dominabatur toti mundo; verùm diabolus iſti regno Dei in hominibus ſuper terram, invidens, pro ut eidem fruſtrà inviderat in Cælo, cauſavit confuſionem magnam, dùm, Evam & per Evam, Adamum induxit ad peccatum, ſicque rebellionem excitavit contrà Deum; de quâ loquens Sapiens ait, *invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum*; & inſinuans etiam alios ejus exemplo ſeductos conſpirare contrà vitam ſeu regnum Dei in homine, ſubdit, *imitantur illum, qui ſunt à parte illius*; ecce ſuſcitavit ſatan ligam, habetque adhærentes, ut mortem peccati, loco vitæ gratiæ, deſtructo regno JESU, faciat regnare; quod etiam ſignificans Apoſtolus ait, *per unum hominem mors in mundum intravit, & per peccatum mors, & ſic in omnes homines mors* peccati *pertranſijt*; quid fecit peccatum inter homines? *peccatum*, inquit Apoſtolus, *regnavit in mortem*; id eſt, peccatum in iſtum finem regnavit in homine, ut in eo deſtrueret vitam & regnum Dei; quod in ſe expertus Apoſtolus ait, *peccatum, occaſione accepta, ſeduxit me, & occidit.*

Sap. 2. 24.

Peccatum deſtruit regnum mundi.

Rom. 5. 12.

Ibid.

Regnum peccati.

Deus factus homo ut deſtrueret regnum peccati.

Itaque peccatum deſtruxerat regnum Dei in homine, peccatum loco Dei, regnabat in mundo; porrò ut hominem à tyrannide peccati liberaret, & regnum ſuum in ipſo recuperaret, Unigenitus Dei filius carnem aſſumpſit

Digitized by Google

493

aſſumpſit humanam, ut ſuâ morte deſtrueret mortem peccati; *hoc ſcientes*, ait Paulus, *quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultrà non ſerviamus peccato*: dilectus Chriſti Diſcipulus benè ait ad propoſitum, *quia ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret*; cupis ſcire, quo modo? ait, *ſanguis Ieſu Chriſti, filij eius emundat nos ab omni peccato*; ità ut nullatenùs ſit dubium, quin *Chriſtus mortuus ſit pro peccatis noſtris*, quatenùs regnum ſuum in nobis recuperaret, à ſervitute & tyrannide peccati eriperet, emundaret, & ſtabiliret.

Rom. 6. 6. *1. Io. 3. 5.* *1. Io. 1. 7.* *1. Cor. 15. 3.*

Debemus Chriſtum iuvare in regno ſuo.

Supereſt, ut ex parte noſtrâ porrigamus ei manus adiutrices, omni conatu & vigilantiâ unà cùm illo, ſatagendo indè relegare peccatum, & ipſum in ſuo regno reponere; hoc imprimis fieri debet per ſacramentum pœnitentiæ, per veram cordis contritionem, per opera pœnitentialia: *ſi*, inquit dilectus Ieſu Diſcipulus, *confiteamur peccata noſtra*, utique cum verâ contritione, *fidelis eſt, ut remittat peccata noſtra & emundet nos ab omni iniquitate*; dùm nempè eum iuvamus ex parte noſtrâ; Apoſtolus applicabat manum operi, quo regnum Ieſu in ſe expurgaret, quandò dicebat, *caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*; videſne, quomodò Apoſtolus iuvabat Ieſum in capiendâ poſſeſſione regni ſui? iuvabat illum in debellandis hoſtibus eius, ad noſtrum exemplum, nè deficiamus in rationabilibus operibus pœnitentiæ, quibus caſtigemus etiam corpus noſtrum, & in ſervitutem, ſeu dominium Ieſu redigamus.

Per pœnitentiam. *1. Ioan. 1. 9.* Exemplo Apoſtoli. *1. Cor. 9. 27.*

Ut autem regnum peccati nullum in nobis fomentum inveniat, oportet nos cum Ieſu colligare & unanimiter allaborare, ut regnum eius expurgemus ab omni rebellione corruptæ naturæ, ab omni inordinatâ paſſione, ab omni malâ inclinatione, *ſemper*, iuxtà monitum Apoſtoli, *mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes*, ſicque continuò contra nos ipſos odium Sanctum exercendo, tamquàm contrà hoſtes domeſticos Ieſu, ſcientes, quià *qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs*.

Per mortificationem corruptæ naturæ. *2. Cor. 4. 10.* *Gal. 5. 24.*

CAPUT V.

Quomodò Ieſus magis confirmetur in regno ſuo per exercitium virtutum, & manſionem in animâ faciat, tamquam benè aſſecuratus in regno ſuo.

Regnum Ieſu in animâ muniendum per virtutes.

QUandò homo ſic pertranſijt viam purgativam, & regnum Ieſu in animâ ſuâ ritè iuvit emundare, mortificando, & imperio Ieſu ſubijciendo omnes eius hoſtes domeſticos, carnem inquam, ſpiritui ſubiugando, paſſiones domando, & pravas concupiſcentias refrænando; tunc eſt tem-

pus;

Digitized by Google

pus, illud ab omni parte muniendi fortalitijs ſolidarum virtutum, quorum fundamenta & profundæ foſſæ debent eſſe viva fides myſteriorum Dei, verus Dei timor, & profunda humilitas, fortia mænia manſuetudo, contra-munitiones patientia ſanctorum & longanimitas, conſtantiaque in benè operando; armatura Spiritûs ſcutum fidei, galea ſpei, lorica iuſtitiæ & perfectæ dilectionis, pectorale ſanctarum cogitationum, aliæque virtutes.

Ieſus aſſecuratur in regno ſuo per mortificationes.

Dum ſic virtutes ſunt perfectè radicatæ, & caſtellum animæ non ſolùm ab inimicis domeſticis malarum concupiſcentiarum eſt emundatum, ſed etiam fideli præſidio cæleſtium deſideriorum, & munitionibus perfectarum virtutum benè eſt inſtructum, ità ut nec mundus, nec diabolus ullum intrandi aditum ad illud videatur habere, & intùs, caro per pœnitentiæ opera, ac mortificationum exercitia iacet edomita; tunc incipit Ieſus ſe confidere regno ſuo, & ſe in illo aſſecurare; ideòque ibi ſtatuit tenere domicilium ſuum, & erigere thronum, iuxtà quod ipſe ait, *qui diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* (Ioan. 14. 23.)

Ieſus deſtruit reliquias peccatorum.

Porrò quandò Ieſus perfectè regnat, & habitat in animâ; tunc paulatim deſtruit, quidquid ibi illi contrariatur; ità ut tunc verificetur illud Davidis, *ad nihil deductus eſt in conſpectu eius malignus* (Pſal. 14. 4.), utique corrupta natura cum reliquijs peccatorum, & conſequenter, totus vetus homo; ut novus homo, qui ſecundùm Deum creatus eſt, Ieſus Chriſtus ſolus in eâ vivat;

Vivit ſolus in animâ.

hoc ſic contigerat in Apoſtolo, quandò dicebat, *vivo ego, iam non ego, vivit verò in me Chriſtus* (Gal. 2.), ſignificans veterem hominem in ſe iam mortuum, ſed Spiritum Chriſti in ſe vivere, iuxtà quod alibi ait, *mihi vivere Chriſtus eſt, & mori* (Phil. 1. 21.), utique peccato, ſibi & creaturis, *lucrum* vitæ divinæ in Deo.

Regnat in animâ.

O quam fælix anima, in quâ ſolus Ieſus vivit! hoc fit, quandò gratia Chriſti ſola regnat in animâ, & anima iam liberata à lege peccati, in omnibus agendis & omittendis dirigitur à Spiritu Chriſti, & cum omnibus viribus ſuis omni tempore eſt parata, ut gratiæ Dei coôperetur, & ab illâ in omnibus regatur, advigilando, nè ullas alias in ſe operationes, aut motiones admittat, quàm ex inſtinctu, coôperatione, & directione eiuſdem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quomodò Spiritus Ieſu aliquas animas poſſideat, & omnia earum opera cum illis operetur: optat eſſe unus cum illis, & omnia in illis operari, ſicut Pater in ipſo manet, & omnia operatur.

ANima illuminata videtur hîc adhuc ulteriùs inſtrui de vitâ Ieſu in illâ; n. quod Spiritus Ieſu in aliquibus immediatè vivat, & ipſemet cum illis operetur omnes eorum operationes; ita ut ſimiles quaſi à Spiritu Chriſti totaliter ſint poſſeſſi, ab ipſo operati, & in omnibus directi; talibus loquens Apoſtolus ait, *quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba, Pater*; de talibus etiam ait, *qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei*; ipſe-met Salvator conſiderabat Diſcipulos ſuos tamquam à ſuo Spiritu poſſeſſos, dùm illis dicebat, *non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*; de talibus fatetur Apoſtolus, *unus atque idem Deus operatur omnia in omnibus*, & enarratis varijs operationibus gratiæ, ſubiungit, *omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, diſtribuens unicuique, pro ut vult.*

Omnia in illis operans. Gal. 4. 6. Rom. 8. 14. Mat. 10. 20. 1. Cor. 12. 6. Num. 11.

Quidam ex iſtis libenter fatebatur & dicebat, *Domine, omnia opera noſtra operatus es nobis*; ſed quid eſt mirum? Dei Spiritus ſolus in illis vivit; mala natura eſt mortua, à divino ſpiritu ſunt totaliter poſſeſſi, à quo proindè in omnibus aguntur & diriguntur; In talibus Deus orat, iuxtà dictum Apoſtoli, *nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus orat in nobis gemitibus inenarrabilibus*; atque idem eſt de omnibus alijs operationibus, v.g. Spiritus Ieſu loquitur, comedit, bibit, vadit, laborat, concionatur, hortatur, patitur, &c. in ipſis; ità ut in veritate cum Apoſtolo dicere poſſint, *vivo ego, iàm non ego, vivit verò in me Chriſtus*, id eſt Spiritus Chriſti operatur in me omnes actiones meas vitales.

Poſſeſſus à Deo. Iſa. 26. 12. Deus in illo omnia operatur. Rom. 8. 20.

Chriſtus ſic videbatur velle manere & vivere in homine, quandò dicebat, *manete in me & ego in vobis*, &, *qui manet in me, & ego in illo, hic fert fructum multum*; atque ut ſciremus, quia omnis vita præter vitam Ieſu in nobis, eſt infructuoſa & inutilis ad vitam æternam, addebat, *ſine me nihil poteſtis facere*, nempè non plus, quàm corpus ſine animâ, in ordine ad æternam ſalutem.

Ieſus vult in nobis manere. Ioan. 15. 4.

Salvator etiam dicebat de ſe ipſo, *Pater in me manens, ipſe facit opera*, ſignificans Patrem in ſe vivere, adeòque omnia in ſe operari; ideò ad Philippum

Ioan. 14. 10.

lippum Apoſtolum dicentem, *oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis*, dicebat, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem, non credis, quià ego in Patre, & Pater in me eſt? alioqui propter opera ipſa credite*, quæ utique Pater in me operatur.

Ibid.

Ieſus vult eſſe unus nobiſcum & in nobis vivere.

Equidem ex his colligit anima devota, quod Spiritus Ieſu etiam in illâ manens, ipſe faciat opera, idque non ſinè fundamento; nam in iſtum finem Ieſus deſiderat in animâ manere, & unum cum illâ fieri, ut in eâ, & cum eâ omnia operetur; ideò ante ultimam cœnam ſic orabat, *Pater Sancte, ſerva illos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut omnes unum ſint, ſicut nos, &, etiam rogo pro eis, qui in me credituri ſunt, ut omnes unum ſint, ſicut tu, Pater in me, & ego in te; & ut in nobis unum ſint, ego in illis, & illi in me, ut ſint conſummati in unum, ut dilectio, quâ me dilexiſti, in illis ſit, & ego in illis*: quomodò vis clarius cognoſcere deſiderium Ieſu, vivendi in ſuis? quocircà ſicut Pater in Chriſto manens & unus cum illo exiſtens ipſe fecit, omnia eius opera in ipſo cum ipſo; ſic etiam Spiritus Chriſti in animâ Deum amante manens & unus cum illâ factus vult facere omnia eius opera; atque hoc ſenſu debet Chriſtus nobis eſſe vita, ſeu in nobis vivere; quo ſenſu dicebat Apoſtolus, *mihi vivere Chriſtus eſt*; quod dum fit, tum *vita Ieſu manifeſtatur in corpore noſtro mortali* per operationes omnis generis virtutum Chriſtianarum, humilitatis, manſuetudinis, patientiæ &c.

Ioan. 17. 11 &c.

Sicut pater in Chriſto vivebat & unus cum illo erat.

CAPUT VII.

Differentia partis ſenſualis & rationalis: rationalis non poteſt Deo eſſe ſubjecta, quamdiù à ſenſuali ſuperatur; ſenſibilis devotio parvi facienda.

UT in particulari & fuſius incipiamus explicare, quomodò Spiritus Chriſti in animâ devotâ vivat, vel quomodò anima amoroſa, debeat incipere vitam in Deo; multùm proderit benè diſcernere, ſeu dignoſcere differentiam, quæ eſt inter partem ſenſualem & rationalem, quò ſic diſcat, quomodò Spiritus Dei unam & alteram poſſit & ſoleat operari: itàque pars rationalis operatur quaſi in excelſo cum nullâ aut exiguâ communicatione cum ſenſuali (loquendo ſecundùm naturam) adeòque operatur modo ſpirituali, cum abſtractione ab omnibus, quæ ſunt inferiora, aut ſenſualia; & conſequenter tunc anima vivacitatem potentiarum ſenſitivarum non multum experitur; & quandò tum accedit nuda, aut viva fides, tunc pars rationalis optimè diſpoſita eſt, ut percipiat divinas illuſtrationes ac intimas inoperationes, aut ſaltem, ut adoret Deum in ſpiritu & veritate.

Differentia inter partem rationalem & ſenſualem.

Quomodò pars rationalis operetur.

At

Digitized by Google

At pars ſenſitiva operatur quaſi inferiùs, cum magnâ vivacitate, & colluſione ſenſuum, virium ſenſitivarum, & omnium, quæ ſunt corporalia, ſenſibilia, imaginaria; quandò hæc pars inferior non tenetur ſub freno, tum facilè deprimit ſpiritum, nimiâ ſuâ vivacitate eum ad ſe attrahendo, obnubilando, & quaſi captivum tenendo; cæterùm cum ſenſus & potentiæ ſenſitivæ cum ſpiritu nihil habeant commune, ſed potiùs illi contrarientur; quamdiù ſpiritus eſt ità permixtus, & quaſi ſuperatus vel depreſſus manet ſub parte ſenſitivâ, valdè parùm idoneus eſt, ut percipiat ea, quæ Dei ſunt, ut à divino Spiritu illuſtretur, agatur, eique ſubjiciatur.

Quomodò pars ſenſualis operetur.

Impedit ſpiritum.

Vt patet, quod omnis ſenſibilis devotio, impetuoſitas, imaginariæ viſiones, vel apparitiones parvi ſint faciendæ; eò quod in illis pars ſenſitiva, & potentiæ ſenſuales potiſſimam partem obtineant, & multis deceptionibus ſint obnoxiæ; quia magna earum vivacitas partem ſuperiorem, ſeu ſpiritualem impedit, quo minùs omnia benè ordinet, & dirigat, pro ut ipſi competit; & ſpiritus per ſtrepitum partis ſenſitivæ ità depreſſus, & phantaſmatibus permixtus, influxui divini Spiritus percipiendo eſt minus idoneus; ex quo provenit, quod ſenſibilis iſta devotio, fervor, dulcedines internæ, vel imaginariæ illuminationes maximè fundentur in ſenſibus, & tantò minùs participent de Spiritu Dei, quantò magis de parte ſenſitivâ; præſertim, quandò potentiæ inferiores non ſubordinantur directioni Superiorum, ſeu ſpiritus, nec ſpiritus debitè ſubordinatur directioni Dei: tunc enim illæ ſunt velut guloſæ beſtiæ, quæ aliquid dulcedinis in ſpiritu percipientes, in eo ſe guloſè ſaturare feſtinant ſinè ullo ordine vel ſubjectione, & omnia ſpiritualia in ſenſualia convertunt; id quod ſatan advertens ſe non rarò transformat in Angelum lucis, & animam decipit falſis illuminationibus, ſenſualem dulcedinem auget, &, quandò anima exiſtimat ſeſe jam planè eſſe devotam, ferventem, benè compunctam, frequenter decipitur ſub ſpecie boni, vivitque vitam ſenſualem, non ſpiritualem; quocircà plurimùm refert, benè diſcernere inter operationes ſenſuales & ſpirituales; nec multùm inniti aut fidere ſenſualibus, niſi in quantùm ſpiritui ſubordinantur, & ab eo ſub directione Dei benè regulantur.

Senſibilis devotio parvi facienda.

Quandò non ſubordinatur ſpiritui.

Gula ſpiritualis.

Deceptio in devotione ſenſibili.

CAPUT VIII.

Quandò Spiritus Dei dominatur; tunc potentiæ ſenſitivæ ſubſunt ſpiritui rationali, & hic Deo: ſic fuit in Adamo antè peccatum; in Chriſto; in Divâ Virgine & beatis.

Spiritus Dei prævalet ſenſualitati.

VErùm quandò Spiritus Dei in animâ prævalet & dominatur, tunc moderatur & evaneſcere facit vivacitatem ſenſuum & aliarum potentiarum ſenſitivarum, eaſque ſpiritûs imperio ſubjicit, ac ſpiritum ſeu potentias ſpirituales ſibi; ità ut quidem potentiæ rationales aliquod obſequium recipiant à potentijs ſenſualibus, ſed illud obſequium quaſi in ſe ſuſcipientes, & in locum ſpecierum phantaſticarum ſubrogantes ſpecies intellectuales, ac loco ſenſualium affectionum utentes rationabilibus, addunt inſuper obſequium fidei, quò ſic fiant idoneæ ſtare ſub directione, illuminatione & intimâ inoperatione divini Spiritûs; qui nonnumquàm partem rationalem ſuo immediato influxu nobilitat, totaliter abſorbet, & vitâ donat divinâ (uti ſuperiùs nonnihil tactum eſt, &, Deo juvante, adhuc latiùs tangetur) atque hoc modo, parte ſenſitivâ etiam benè ordinatâ. totus homo eſt benè diſpoſitus, & ordinatus.

Sibi ſubjicit.

Ordinat totum hominem.

Adam antè peccatum erat Deo ſubjectus.

Tali modo erat diſpoſitus protoplaſtus noſter Adamus in ſtatu innocentiæ; ità nimirùm, ut pars ſenſitiva non ageret dominam, nec operaretur nimis vivaciter, nec partem rationalem obrueret, ſed illi ancillaretur, eidem ſubjiceretur, parata quaſi ab extrà miniſtrare de objectis ſenſibilibus, nec plus, nec minùs, nec vivaciùs, quàm pars rationalis egebat, vel deſiderabat; & de cætero ſpiritus à ſenſibus immunis, ac ab eorum objectis liber agebat magiſtrum, dimittebat ſenſibiles imaginationes, ſeu ſpecies, & formabat intellectuales, quæ erant idoneæ unà cum cognitione Dei, omnia ſecundùm ejus beneplacitum operari; atque ità pars ſenſitiva erat ſubjecta ſpiritui, & ſpiritus Deo.

Chriſtus, Maria & Beati Deo planè ſubordinati.

Talis ſubordinatio viguit perfectiſſimè in Chriſto Domino, ac in ejus Matre amabili; talis ſubjectio, durante totâ æternitate, erit in Beatis in Cælo; in quibus potentiæ ſenſitivæ quidem in ſuis objectis naturalibus, aut ſupernaturalibus habebunt ſuam delectationem, at non inordinatè, aut cum ſenſuali adhæſione, ſed cum plenâ ſubjectione ſuâ ad partem ſpiritualem, & ſubordinatione partis ſpiritualis ad beatificum lumen gloriæ, quod eſt Deus ipſe animæ immediatè unitus, & per claram divinitatis ſuæ intuitionem beatificans.

Porrò

Digitized by Google

Porrò in hâc ſubordinatione utcumque imitandâ, & fideliter obſervandâ conſiſtit perfectio præſentis vitæ; quocircà omnes animæ devotæ cum omni diligentiâ & ſtudio, eò collimare debent, ut n. aliquo modo in hâc vitâ æmilentur ſtatum Beatorum, Divæ Virginis, & ipſiuſmet Chriſti; ſicque ſtatum innocentiæ paulatim aſſequantur.

CAPUT IX.

Modus potentias ſenſitivas ſpiritui ſubjiciendi per mortificationem & exercitium fidei.

PRædictam partis ſenſitivæ ſubjectionem ad ſpiritum, anima Deum quærens acquirere debet per continuas mortificationes, per mortes amoris alibi deſcriptas, per abnegationes, & excluſiones objectorum ſenſibilium, ac vivacitatis eorum; donec ex unâ parte, potentijs ſenſitivis, puta, phantaſiâ, appetitivâ, æſtimativâ, iraſcibili, &c. per mortes amoris temperatis, à nimiâ vivacitate liberatis, ac in ſuis impetuoſis operationibus moderatis, ſicque in ſervitutem redactis, ab alterâ parte etiam ſpiritus per fidem & gratiam in bono ſtabilitus, ſinè contradictione, parti inferiori dominetur, & eam ſibi teneat ſubjectam; quod dum anima aſſecuta eſt, ſolummodò debet advigilare, ut lumini fidei magis det locum, ac in eo fideliter ambulet, continuò ſeſe exercendo in reverentiali & amoroſâ attentione ad divinum Spiritum, donec ab eo dignanter arripiatur, aſſumatur, poſſideatur, in omnibus dirigatur & agatur, ſic, ut ipſe in illâ operetur omnia ejus opera, & quaſi unicè in eâ vivat, & ipſa in illo; cum enim Chriſtus ſuis dicat, *manete in me, & ego in vobis*, non eſt putandum, quod alio fine in animâ velit manere, quàm ut regnum ſuum perfectè in eâ ſtabiliat, in illâ ſolus vivat, eam totaliter poſſideat, dirigat, ac omnia ejus opera faciat.

Senſualitas ſpiritui ſubjicienda per mortificationem.

Exercitium fidei juvat ad ſubjectionem ergà Deum.

Joan. 15. 4.

Porrò ut anima ad hanc à Dei Spiritu poſſeſſionem convenienter præparetur, ac prædictam mortificationem partis ſenſitivæ faciliùs aſſequatur, debet ſe vigilanter exercere in vivâ aut nudâ fide divinæ Eſſentiæ, quæ implet Cælum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt; etenim hæc fides fideliter & conſtanter exercitata facilè reprimit ſenſualitatem, & nihileitatem ac vanitatem omnium rerum ſenſibilium paulatim magis & magis detegit, quo fit, ut anima valdè exiguam in illis inveniat delectationem, facilèque magnum de illis faſtidium, & vilipenſionem concipiat.

Diſpoſitiones ut anima à Deo poſſideatur.

Per exercitium fidei.

Ut autem hæc meliùs in praxim redigat, debet aſſueſcere, non ſolùm tempore orationis, ſed etiam anteà & poſteà, aliquo modo ſtare in fide, ſeu

Etiam extrà orationem.

ſeu in elevatione mentis per fidem, in abſtractione & inavertentiâ ſenſibilium imaginum, conando partem ſuperiorem liberam ſervare & impermixtam à parte inferiore, & per vivam fidem moderando & quaſi annihilando vivacem activitatem potentiarum ſenſitivarum, vel etiam illas attendendo quaſi de longè, & ad ſe non pertinentes, manendo intereà cum activâ attentione, reverentiâ, aſpiratione, ſpiritûs acclinatione, reſpiratione ad Deum, & in Deo.

Praxis ſtandi in ſpiritu in officio divino, &c.

Verbi gratiâ, legendo officium canonicum, poteſt ſe conſervare in elevatione ſpiritus per fidem, abſque eo, quod ſinat colludere ſenſibiles imagines rerum impertinentium, cum excluſione virium ſenſitivarum, in quantum non ſunt neceſſariæ, ut ſatisfaciat obligationi, illud perſolvendi, ſolummodò reſervando ſimplicem ad Dei præſentiam intuitum, ſeu reminiſcentiam Dei, cui loquitur, vel etiam tranquillam attentionem ad verba, & ad ſenſum illorum; ſic enim erit promptior, minoribus diſtractionibus implicata, & ſpiritus liberior, ut Deo hæreat intentus; eò quod phantaſia, aliæque potentiæ ſenſitivæ tunc quaſi edomitæ facilè reliquantur extrà, vel ſine reflexione, vel quaſi enervatæ, non potentes deprimere ſpiritum, ſed potius ejus nutui & directioni ſubjectæ.

CAPUT X.

Modus omnia faciendi in elevatione Spiritûs, præſertim in ſenſibilibus rebus; ad quod opus eſt forti Spiritu, quo omnia creata parui pendantur.

Operari in elevatione mentis.

AD conſtanter proficiendum in vitâ divinâ in Deo, debet anima amoroſa conari in elevatione ſpiritûs, facere omnia opera ſibi ex obedientiâ, charitate vel neceſſitate incumbentia, illa præſertim, quæ potentias ſenſitivas multum afficiunt, vel delectant, vel angunt, conando nempè divertere reflexionem ab illis, earum ſpecies imaginarias non attrahere, ſeu dimittere, ac cum omni poſſibili attentione per fidem in Deo ſe erectam tenere; v. g. in ſumptione nutrimenti corporalis, in uſu alicuius commoditatis, vel rationabilis recreationis, debet ſatisfactionem naturalem tranſvolare, ad eam tamquam ſuâ reflexione indignam & pro ſe nimis vilem, ex propoſito non reflectere, ſed cum forti fidei intuitu mentem in Deo elevatam tenere; tali enim modo agendo, anima nullum indè ſentiet impedimentum, nec ab immediatâ ad Deum adhæſione retrahetur; cum eâ utatur, quaſi non uteretur, & quaſi ad eam non pertineret.

Quomodò.

In ſumptione cibi, &c.

Per vivam fidem.

Ad

Digitized by Google

437

Ad hoc ſic ſtabiliter præſtandum multum conducit, eſtquè neceſſarium robur Spiritûs, quo anima ſpiritualis, quidquid ſub ſenſum cadere poteſt, quaſi nimis vile reputans, vix dignatur ad id reflectere, ſed oculum mentis uincè habet apertum, ut exploret, contempletur, & aſſequatur *Vnum* divinum, quod ſolum *neceſſarium* eſt, & ad cuius ſolius fruitionem eſt creata; hoc ſenſu dicebat Apoſtolus, *omnia detrimentum feci, & arbitratus ſum ut ſtercora, ut* ſolum, *Chriſtum lucrifaciam.*

Robuſtus Spiritus parvi facit quid quid Deus non eſt.

Phil. 3. 8.

Id anima facilè conſequitur, dùm nonnihil divino lumine irradiatur, & acquirit notitiam rerum æternarum, cæleſtium & divinarum, aut fidem circa iſta conſtanter exercet; tunc enim econtrà clarè perſpicit vilitatem, vanitatem, & fluxibilitatem cæterorum omnium, quæ proindè tunc ultrò vilipendit ut crepundia, & ſordes, reſpectivè ad cæleſtia, divina & æterna, hoc teſtatur Apoſtolus, dum ait, *quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta*; imò, *exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti, Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam*; ecce viva fides, & eminens ſcientia, quam Apoſtolus acquiſierat de Chriſto, quod nimirum, in *ipſo habitet omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; quod in ipſo *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei ſint abſconditi*, & ſimilia, effecerant in Apoſtolo, ut cætera omnia ſperneret, & ſolummodò oculum intenderet in Chriſtum, in quo Divinitatem, & omnia vera bona videbat abſcondita, ut ea ſola cordi haberet.

Fides omnia annihilat & docet parvi facienda.

Phil. 3. 7.

Coll. 2. 9.

Coll. 2. 3.

Dum fortaſſis anima ſpeciali lumine gratiæ non illuſtratur, tùm ſe-ipſam iuvare debet lumine fidei, quæ docet omnia, quæ Deus non ſunt, vel Deiformia, eſſe vana, tranſitoria, & quaſi tantum momentanea, adeòque parvi facienda, nec eſtimatione aut amore digna: quamquam ſic in nudâ fide ambulare, abſque alio fulcimento internæ illuminationis, aut divinioris inoperationis in Spiritu, animæ ſit tædioſum, moleſtum, & triſte, ſed non minùs meritorium.

Quomodò fides exercenda in derelictione.

CAPUT XI.

Quomodo elevatio Spiritûs per exercitium fidei, poſſit conſervari in functione officiorum, colloquijs, ſtudijs &c.

IDem uſu venire poteſt in functione alicuius officij, in colloquendo cum alijs, in ſtudendo, prædicando, hinc indè proficiſcendo, in opere manuali & ſimilibus; ità nempè, ut anima fidelis in omnibus conari debeat manere in elevatione mentis, cùm actuali diſmixtione omnium, quæ vitioſam

Quomodò fungendum officijs, ſtudendum in Spiritu.

Digitized by Google

tioſam vivacitatem in ſenſibus vel potentijs ſenſitivis poſſent cauſare, nè alicubi cum adhæſione aliquâ quieſcat, aliquas rerum ſpecies intrahat, aut cum nimiâ operoſitate, impetuoſitate, commotione, aut anxietate occupetur; hæc enim omnia ſpiritum nimirùm diſtraherent, mediarent, & in ſuâ ad Deum converſione, vel introverſione impedirent, & conſequenter eſſent planè contraria vitæ in Deo, qui non invenitur in commotione, in turbine, in multiplicitate, ſed in ſimplicitate cordis, in quiete, in internâ pace, atque hoc ſenſu iuxtà textum ſacræ Scripturæ, *in ſibilo auræ tenuis.*

Vita in Deo invenitur in ſimplicitate, non in multiplicitate.

3. *Reg.* 19. 12.

Praxis ſimplicitatis ad inveniendum ſolum Deum in omnibus.

Idcircò anima devota, cui vita in Deo cordi eſt, debet in omnibus, quæ facit, & ubicumque eſt, conari ſervare tranquillitatem & pacem animi, omnia, quibus occupatur, ſine adhæſivâ reflexione prætereundo, quaſi nuſquam inveniens aliquid idoneum aut dignum, cui meritò adhæreat, aut quo ſpiritum anxiè occupet; ac proindè quaſi ſuæ reflexivè affectionis pedes nullibi ſidere, vel figere audens continuò debet vlterius volare, & extrà vel ſuprà omnia creata, per fidem annihilativam elevata manere, quaſi aliquid aliud incomparabiliter maioris momenti in oculo, & cordi habendo, n. ſuum Deum & omnia, extrà quem nulla ei res curæ eſt; ſed quandò aliquid aliud agere debet, aut alijs vacare, id ſolummodò facit per modum tranſeuntis, quaſi per accidens, quaſi advena, & peregrina, & extrà centrum ſuum, ad quod proindè omnia trahere, ad quod ſemper anhelare, & tendere ſatagit, & extrà quod nullam requiem invenire poteſt.

Quomodò externa opera facienda ſine impedimento Spiritûs.

Intereà non deſinit ritè agere, quæ ſunt ſui muneris, loquitur cum alijs, dùm ratio poſtulat, vacat exercitijs corporalibus, ſtudijs, concionibus, viſitandis infirmis, libro tenendo, & alijs hinc indè negocijs dirigendis, eaquè omnia exequitur iuxtà exigentiam ſui ſtatûs & conditionis; ità tamen, vt eius Spiritus ubique maneat quietus, tranquillus, & liber à nimiâ vivacitate virium ſenſitivarum, & obiectorum ſenſibilium, ea non intrahendo, ſed quaſi leviter prætervolando, nec illis magis inhærendo, quàm neceſſitas vel recta ratio exigat, idque adhuc cum actuali amiſſione, ſeu reflexivæ ad ea advertentiæ dimiſſione, quaſi nihil iſtorum reputans dignum, cui affectu adhæſivo immaneat, vel in quo quieſcere poſſit, ſine præiudicio ſuæ unicè intentæ & neceſſariæ quietis in Deo; atque ità, parte inferiore cum ſuis potentijs manente ſpiritui ritè ſubiectâ, anima optimè eſt diſpoſita & idonea ſtare ſub divino ſpiritu, ab eo in omnibus dirigi, poſſideri, animari, eiuſque operationibus locum dare, in omnibus agendis, prout ſuprà dictum eſt.

Cum ſubiectione partis Inferioris.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XII.

Modus Deiformiter & divinè vivendi cum ſubordinatione partis inferioris ad Spiritum Chriſti, qui animam poſſidet, & operatur.

EX jam dictis poteſt anima ſincerè Deum amans colligere, *primò*, quomodò poſſit & debeat vivere *Deiformiter*, id eſt, conformiter beneplacito Dei, juxtà exigentiam ſui ſtatûs & conditionis, faciendo & omittendo quidquid ſuus ſtatus exigere videtur, nam omne illud eſt Deiforme; *ſecundò*, etiam conari debet vivere *divinè*, id eſt, quidquid novit eſſe Deiforme, omni ſtudio exequi debet cum concurſu divini Spiritûs, ſeu coöperante divinâ gratiâ, quæ tali animæ ad opera dicto modo Deiformia nunquàm deficit.

Quid ſit vivere Deiformiter.

Quid vivere divinè.

Imò quandò anima, ut ſuprà dictum eſt, fidelis invenitur in continuâ morte amoris propter Dilectum, & per hoc, potentiæ ſenſitivæ paulatim deveniunt ad diſpoſitionem ſtatûs innocentiæ, tunc non ampliùs impediunt ſpiritum, ſed potiùs ei ſubjiciuntur, & ſunt adjutorio; eò quod jam ſint mortificatæ, & in ſuâ vivacitate temperatæ; quocircà ſpiritus jam non amplius à parte inferiore impeditus, facilè poteſt ſe ſubjicere Deo, tuncque cum Apoſtolo dicere, *ſpiritus Chriſti teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod ſimus filij Dei*; ad tales ait idem Apoſtolus, *quia eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra*, quid ibi facit? *clamat*, *Abba Pater*, quid vis, ut faciam? utiquè Spiritus divinus Unigeniti filij Dei in ipſis manet, ut unà cum ipſis operetur, omnia quæ ſunt conformia beneplacito Dei Patris, in cogitationibus, dictis, & factis, prout ſuprà dictum eſt; tunc poſſidet animam pro ſuo libitu; tunc in eâ habet ſuum regnum ſinè ullâ oppoſitione vel repugnantiâ corruptæ naturæ; hæc enim tunc in eâ eſt quaſi annihilata, & ſpiritui rationali ſubjecta, & ſpiritus rationalis Spiritui Chriſti.

Quandonàm pars inferior non impediat ſpiritum.

Rom. 8. 16.

Gal. 4. 6.

Quomodò Spiritus Chriſti omnia in animâ operetur.

Ex quibus clarè patet, quod anima tùm vivat vitam, non modò Deiformem, ſeu divino beneplacito conformem, ſed etiam divinam ſeu à divino ſpiritu in ipſâ, & cum ipſâ operatam.

Vita Deiformis & divina.

Talibus proindè animabus dicere licet, *ego dixi Dij eſtis & filij Excelſi omnes*, reverà enim, dùm anima ſic à divino ſpiritu poſſidetur, ſic, ut hic in eâ operetur omnia ejus opera, ità ut jam ipſa non vivat, ſed Spiritus Chriſti in ipſâ, operans omnes illius actiones vitales gratiæ, imò omnia ejus opera vitalia faciens opera gratiæ, & ſic divina, tunc anima repu-

Pſal. 81. 6.

Facit electos quaſi Deos.

tari poteſt quaſi transformata in Deum, & reipsâ eſt de numero filiorum Dei.

CAPUT XIII.

Quomodò anima etiam poſſit vivere in Deo velut in aëre vivifico; in Deo virtutes exercendæ, & ſpiritualiter certandum, quàm ſit ſuave in Deo vivere.

Occaſione elevationis mentis in Deo per fidem, ſuprà & extrà omnia objecta ſenſibilia, & mixtionem partis ſenſitivæ, in quâ dixi animam Dei amantem debere aſſueſcere ſua opera facere, anima illuminata etiam venit in notitiam, quomodò non ſolum poſſit & debeat conari vivere *Deiformiter* & *divinè*, modo ſuperiùs explicato, ſed etiam *in Deo*: neque etiam fruſtrà ait Apoſtolus, *Deus non longè abeſt ab unoquoque noſtrum, in ipſo enim vivimus*; quidem verum eſt, quod omnia viventia ſivé rationalia, ſivè irrationalia, ſecundùm naturam in Deo ſint & vivant, nam Eſſentia divina implet Cælum & terram, & eſt impoſſibile, ut aliquid ſit, cui Deus penetrativè præſens non ſit; ac proindè hoc ſenſu etiam bruta vivunt in Deo, & ſimiliter peccatores, imò etiam damnati vivunt in Deo, cum divinâ Eſſentiâ ſint circumfuſi, & intimè penetrati; quin etiam *dæmones* id *credunt & contremiſcunt*.

Oportet etiam vivere in Deo.

Iac. 2. 19.

Sed planè alio nobiliori modo animæ amoroſæ debent vivere in Deo; hæ ſemper habent in animo, *Deus*, Dilectus noſter *non longè abeſt ab unoquoque noſtrum in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus*; vis ſcire quomodò? vivunt in Deo velut in aëre vivifico, in quo quoties naturaliter, toties etiam ſupernaturaliter reſpirant; ad hanc divinam Eſſentiam quaſi continuò habent os apertum, cum amoroſâ aſpiratione, quaſi in illâ quærentes, & invenientes eſcam & fomentum gratiæ: Sic in Deo vivere videbatur Sanctus Propheta *Elias*, quandò frequenter in ore, & continuò in corde habebat; *vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto hodie*; ſic in Deo vivebat Regius Propheta, qui dicebat, *providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*: ſic ſenior Tobias docebat filium ſuum in Deo vivere; dicens, *omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.*

Quomodò in Deo vivendum.

Act. 17. 28.

In Deo reſpirando.

Elias vivebat in Deo.

4. *Reg.* 3. 14.

Pſalm. 49.

Tob. 4. 6.

Annè deſideras nonnihil in particulari ſcire, quomodò hæc vita *in Deo* ſit exercenda? vita animæ, ſpiritualiter loquendo, eſt exercere virtutes in ſtatu gratiæ; hanc vitam in Deo invenire, & cordi habere oportet; prout invenerant, qui dicebant, *in Deo faciemus virtutem, & ad nihilum deducet inimicos noſtros*; & quandoquidem in hoc mundo, hæc virtuoſa vita *in Deo*

Qualiter in Deo vivendum.

Pſal. 101, 14.

Digitized by Google

Deo etiam patiatur contradictionem & reſiſtentiam; utpotè cum diabolus ſemper inſidietur, ut hanc animæ vitam eripiat, neceſſariò nos ad luctam parare oportet; verùm id etiam *in Deo*, nam in iqſo ſolo, id eſt, in & cum coadjuvante ejus gratiâ, poſſumus nos movere, & aliquid Deo gratum operari: ſic faciebat, qui dicebat, *in Deo meo tranſgrediar murum*, difficultatum, moleſtiarum, & omnis generis tentationum: hoc certamen, hæc victoria in ſuperandis tentationibus & moleſtijs, iſtud exercitium virtutum, & conſequenter tota ſpiritualis, incipiens & proficiens vita poteſt, & debet *in Deo* exerceri, & de facto in Deo exercetur, quandò anima devota in occaſione ſuperandi tentationes vel virtutes exercendi, ſe cum vivâ fide ponit in præſentiâ Dei, ab ipſo ſolo exſpectans ejus gratiam coadjuvantem, nè in aliquo deficiat, ſed in ipſo, & cum ipſo omne ſpirituale certamen perſeveranter ſuſtineat & perfringat, ad virtutes exerceat.

Exercendo virtutes, & certando. *Pſalm. 17. 30.* *Quomodò.*

Verùm, magis ad propoſitum, anima amoroſa, quæ intendit ſummam perfectionem, debet vivere in charitate, atqui Deus charitas eſt, ergò debet vivere in Deo; undè dùm Apoſtolus hortatur, *omnia veſtra in charitate fiant*, idem eſt, ac ſi diceret, omnia veſtra in Deo fiant, ſivè, vivite in Deo: ô quàm ſuave eſt animæ amoroſæ vivere in Deo, reſpirare in Dilecto ſuo! hîc perdit ſe, hîc requieſcit, hîc dormit ſomnum pacis, hîc fruitur pabulo ſuo ſpirituali, hîc tota à ſe deficit, & amore liqueſcit; ſic Salvator dicit, *ego in Patre, & Pater in me eſt*, quaſi diceret, ego vivo in Patre, & Pater vivit in me; ſic, etiam anima hæc vivit in Deo, & Deus vivit in illâ; cum ſcriptum ſit, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo, quia Deus charitas eſt*; porrò in Deo manere eſt vivere in Deo, utique vitam amoroſam; nunc videre juvat, quod vita *in Deo* plus dicat, quàm vita Deiformis & divina.

Vivendum in charitate, & conſequenter in Deo. *1. Cor. 16. 14.* *Sicut Chriſtus in Patre ſuo.* *1. Joan. 4. 16.*

CAPUT XIV.

Quid vita in Deo *ſuperaddat vitæ Deiformi, & divinæ: docetur ſuavior modus vivendi in Deo.*

EX dictis hactenùs, aliquo uſque colligere licet, quid ſit vivere in Deo, & quid hoc plus ſignificet, quàm vivere Deiformiter & divinè; nam vivere *Deiformiter* eſt vivere juxtà placitum Dei; vivere *divinè*, eſt permittere Spiritum Dei, ejuſve gratiam in ſe omnia operari: vivere *in Deo* eſt inſuper, per fidem ſtare in elevatione mentis, cum amoroſâ conver-

Quid vita in Deo plus dicat, quàm divina.

converſione ad Deum, atque in hac actuali amoroſâ vel reverentiali converſione, ſua opera facere.

Verùmtamen cùm ſic per fidem ſtare in elevatione mentis in Deo, dùm hæc activè fit, vix poſſit fieri ſinè intenſione ingenij & fatigatione cerebri, ex quâ facilè contingit, quod ex continuatione caput doleat, & lædatur; proponam hîc ſuaviorem modum vivendi in Spiritu, ſivè in Deo, nempè non cum aſcenſione, ſeu ſuper evolatione, ſed cum ſuavi quaſi reclinatione ſeu acclinatione ſpiritûs ad Deum, ſeu in Deo in intimo cordis; ubi quidem aliquandò ſpiritus non eſt ità abſtractus à potentijs ſenſitivis, ſed equidem purè & ſincere Deo vacat, potentijs ſenſitivis quaſi ad ejus obſequium paratis, & ſuaviter, etſi non vivaciter vel impetuoſè, operam ſuam offerentibus, & præſtantibus.

Suavior modus in Deo vivendi.

Cum ſubjectione panis ſenſitivæ.

Intereà manet anima ſuaviter occupata in amore Dilecti ſui, amoroſè ſollicita, quomodò eum continuò magis & magis poſſit diligere; quocircà in ſuâ ad eum ſpiritûs acclinatione, rogat ipſum ſuppliciter, quatenùs dignetur illum in ſe amorem juxtà ſuum beneplacitum exercere ipſemet, cum id fruſtrà ab ipſius fragilitate exſpectet; tali modo ipſa ordinariè manet, etiam extrà tempus orationis, in ſuavi ad Dilectum inclinatione, hinc indè proferendo unum verbum amoris, & eliciendo intima cordis deſideria, ut ipſe dignetur ſe-ipſum in illâ condignè diligere. Quidem tunc ſubindè colludere videtur aliqua operatio partis ſenſitivæ, ſeu potentiarum ſenſitivarum, ſed quaſi extrà centrum ſuum, & quaſi ſpiritualiſatæ, & intromiſſæ ad intimum cordis, modò aliquo ſpirituali ſe accommodando ſpiritui, non plus, nec vivaciùs, quàm ipſi placet, cum plenâ innocentiâ & ſubjectione.

Et ſuavi inclinatione ad Deum.

Potentiæ ſenſitivæ ſe conformant rationi.

Videtur tunc, & præſertim, tempore orationis, ſpiritus quaſi obumbrare, & intrà ſphæram ſuam complecti, ac ad ſuum nutum habere partem inferiorem, quatenùs ſic tota anima ſubordinetur ſpiritui divino, & ad ipſum quaſi tota ſit expanſa; porrò licet potentiæ ſenſitivæ aliquo modo colludant, id tamen fit quaſi tranſeunter, non adhæſivè, fluidè tamen unà cum ſpiritu in Deum, & in Deo, vel etiam ad Matrem amabilem, ad Puerum Jeſum, ad flagellatum, ſpinis coronatum, crucem bajulantem, crucifixum, vel etiam ad aliquem Sanctum, abſque eo tamen, quod ſimilibus reflexivè inhæreat, ſed omnem reflexionem adhæſivam, vel adhæſionem reflexivam citò dimittendo, vel ſinendo fluere in Deum, vel illis quidem tantiſper inhærendo, ſed cum oculo aperto, & amoroſo in Deum influxu, & ad ejus beneplacitum advertentiâ, neque id plus, quàm Deus permittere videtur; atque iſto modo procedendo, hæc anima operatur & vivit *in Deo.*

Subordinatio ad Deum.

In amore ad Deum & B. Virginem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

Quomodò anima ut tenella ſponſa ſe in Deo poſſit occupare cum colluſione potentiarum ſenſitivarum, ſine imperfectione ſub directione ſpiritûs.

Anima inſtar Sponſæ ad Deum cum coöperatione ſenſuum.

HIc jam intelligit anima devota, quomodò aliquandò inſtar tenellæ Sponſæ, cum ſuavibus acclinationibus, amoroſis alloquijs, & tenerrimis amplexibus ſeſe poſſit & valeat exercere ad ſuum Dilectum, etiam cum coöperatione, obſequio & ſubordinatione ſenſuum & potentiarum ſenſitivarum ad Spiritum, idque ſinè præjudicio perfectionis; ſic intelligit contigiſſe externos exceſſus amoris in Sanctâ noſtrâ Sorore *Magdalenâ de Pazzi*, & alijs: Beati quoque in Cælo utpotè habentes ſenſus, phantaſiam, appetitum ſenſitivum, aliaſque potentias ſubjectas ſpiritui, etiam cum illis, unà cum divino ſpiritu, occupabuntur in tenerrimâ dilectione ſanctiſſimæ humanitatis Chriſti, Matris amabilis, & aliorum Deiformium objectorum, in quibus etiam ſpeciali delectatione, & gaudio accidentali fruentur.

Sicut S. M. de Pazzi.

D. Virgo maternè agebat cum Puero Ieſu ſinè impedimento Spiritûs.

Ex quibus etiam colligere licet, quomodò Mater amabilis infantulum Jeſum tam maternè, tam tenerè, tam dulciter & amoroſè contrectaverit, lactaverit, pannis involverit, amplexata fuerit, in gremio foverit, cibaverit, alijſque maternis obſequijs exceperit; neque enim iſta faciebat in extaſi, vel cum alienatione ſenſuum, extrà vel ſuprà mixtionem potentiarum ſenſitivarum, ſed, eò quod eſſet in ſtatu innocentiæ, omnes in eâ coöperabantur cum parte rationali, quæ unà cum divino ſpiritu (quo erat plena) omnia iſta operabatur ſecundùm exigentiam maternitatis ejus ad Parvulum, qui exteriùs in actionibus, & modis agendi alijs parvulis ſimilis erat.

Puer Ieſus infantiliter agebat cum Matre.

Hîc etiam intellige, quomodò puer Jeſus ſeſe habuerit reſpectu ſuæ chariſſimæ Matris; ſiquidem gerebat ſe inſtar alicujus alterius lactanei ſuaviſſimæ indolis, & optimæ complexionis, utique cum coöperatione ſenſuum & potentiarum ſenſitivarum, ſub directione rationis & Divinitatis, quæ ſimul operabantur juxtà exigentiam tam teneræ, & innocentis diſpoſitionis lactando, in ſinu Matris jacendo, Matri arridendo, oſcula præbendo, ſuper brachia ſedendo, ſinendo ſe veſtiri, ad ubera quieſcendo, amplexando, & plura tenerrimæ, puerilis, & innocentis dilectionis ſigna exhibendo.

Anima aliquandò eſt ut Sponſa in amore.

Tali modo ſeſe etiam nonnumquàm affectam reperit anima amoroſa, dùm minus cogitat, ſcilicet, inſtar delicatiſſimæ & Dei amantiſſimæ

 Sponſæ,

Sponſæ, exercendo omnis generis tenerrimas affectiones, proferendo verba amoroſa, exhibendo varia indicia amoris, uti ſolet amantiſſima Sponſa ad Dilectum ſuum; vel etiam in animo planè innocenti, inſtar infantis ad Matrem amabilem; & conſequenter ſe gerit quaſi ab intus acta & diſpoſita, ut agat partem pueri ad Matrem, cum innocenti alloquio, vel potiùs cum uno hinc indè verbo amatorio, cum amplexibus ſpiritualibus, quaſi ad ejus ubera, vel in ſinu materno ſuaviter quieſcendo, &c, hæc tamen omnia, quaſi tranſeuntur & refluenter in amore in amore Dilecti, nullibi ſenſualiter vel adhæſivè immorando; ubi quidem ſenſus & vires ſenſitivæ colludunt, ſed modo ſpirituali; nam earum operationes, ebullitiones, alluſiones ſunt quaſi mortificatæ, ſinè magnâ vivacitate, veluti à ſpiritu ad hæc ſuaviter actæ & inductæ, vel ſic agere permiſſæ juxtà beneplacitum & inſtinctum divini ſpiritûs, abſque reflexivâ adhæſione, quaſi provenientes ab aliquo ſemi-dormiente, nec ſui plenè compotis, vel in ſpiritu exhilarato; ità ut anima-met poſtmodùm miretur hæc omnia cum tali innocentiâ tranſiiſſe; quamquàm benè meminerit, iſta omnia in Deo, cum amoroſo ad ipſum, & ad ejus beneplacitum intuitu, imò cum perceptibili ejus inoperatione, eſſe tranſacta; & conſequenter confidit, eſtque moraliter certa, quod durante iſtâ innocenti diſpoſitione, vixerit in Deo, Dilecto ſuo vitam Deiformem & divinam.

Vel ut infans ad D. Virginem.

Quomodò tunc fluat in Deum.

Cum ſubiectione ad ſpiritum.

CAPUT XVI.

Anima non poteſt dictos tenerrimi amoris & innocentiæ actus exercere, quandò ſpiritus interiùs non agit.

NOn poteſt anima devota præfatos amoris actus, ſivè ergà Deum, ſivè ergà Matrem amabilem frequentare quovis tempore, niſi dumtaxat, dum interior ſpiritus à Deo ad hoc ſuaviter motus, quaſi ex ſe, eò fluit, & allicit; nam ſi hunc luſum vellet continuare, vel alio tempore inchoare, dum innocens illa Spiritûs diſpoſitio ceſſat, non ſuccederet cum gratiâ aut fluidè, ſed quaſi contortè, violentè & fictè, ſeu affectatè; quin imò anima tota extroverteretur, & in noxiam & diſtractivam multiplicitatem incideret, abſque ullâ ſatisfactione, aut effluxu Spiritûs in Deum; neque etiam potentiæ ſenſitivæ ſe accommodarent rationalibus, neque ſervirent cum debitâ ſubordinatione ad Deum; cuius planè contrarium contingit (uti dictum eſt) dum interior ſpiritus, quaſi ſponte ad iſta inclinat & allicit; tunc enim omnia coöperantur cum ſubordinatione & ſubiectione partis

Anima non poteſt tum. innocenter agere, niſi à ſpiritu acta.

Digitized by Google

tis inferioris ad Superiorem, & Superioris ad directionem & operationem divini Spiritûs; idque ſinè ullâ inordinatione in parte inferiore, ſinè extroverſione, adhæſione, vel inquietudine poſteà.

Subordinatio totius hominis ad Deum.

Ex quo clarè liquet differentia inter unam & alteram diſpoſitionem; & quamdiu aut quandò anima amoroſa hos teneros & innocentes partis inferioris affectus permittere poſſit, vel non; nempè non diutius, nec alio tempore, quàm quandò eius ſpiritûs interiùs à Deo ad iſta inclinatur, tuncquè adhuc cum ſtrictâ circumſpectione, nè natura ſe miſceat, & luſum corrumpat, miſcendo ſe ſenſualiter & ſinè ſubiectione ad directionem Dei.

Quandò & quamdiu anima poſſit exercere tenerum amorem.

Nequè verò novum aut mirum videri debet, quod divinus Spiritûs aliquandò animam ad ſimilia moveat, aliquandò non, imò abſtrahat; ſicuti non eſt novum, quod ſpiritus Dei nunc in animâ operetur timorem, nunc amorem, nunc actus humilitatis, nunc generoſitatis & fortitudinis, nunc affectum ſolitudinis & abſtractionis, nunc zelum animarum, nunc inclinationem miſericordiæ, nunc iuſtitiæ; nam ut ait Apoſtolus, *hæ diviſiones operationum ſunt, idem verò ſpiritus, qui operatur omnia in omnibus*; atque *hæc omnia* ſuo tempore, *operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis pro ut vult*; nam ſimili modo eſt unus atque idem ſpiritus Dei, qui in animâ operatur nunc tenerrimi & innocentiſſimi amoris effectus, nunc amorem maturiorem, reverentialiorem, cum aliquo timore & circumſpectione; atque hinc etiam venit, quod anima aliquandò ſuaviter fluat & quieſcat in Deo, cum aliquâ hinc indè amoris ebullitione, ad ipſum vel ad Matrem amabilem tranquillè introverſa, cum magnâ ſimplicitate, potens longo tempore in tali diſpoſitione perſiſtere, ſinè fatigatione vel tædio; aliquandò id velle prætendere vel attentare, videretur illi temerarium, nimis audacter factum, vel præſumptioſum, eo quod ſe tunc conſideret ut indignam tam liberâ & amoroſâ converſatione cum Deo immenſæ maieſtatis, vel cum Matre Filij Dei; uno verbo, Spiritus Dei diverſimodè operatur in animâ, pro ut vult; & animæ incumbit ad eius inoperationes attendere, & ſe illis conformare.

Deus diverſimodè agit in animâ, non ſemper amoroſè.

1. Cor. 12. 6.

Num. 11.

Operatur aliquando tenerum amorem aliquando maturiorem &c.

CA-

CAPUT XVII.

Quomodò anima à Spiritu Dei poſſeſſa, cum omnibus ſuis potentijs, etiam ſenſitivis fluat in Deum, ac etiam exteriora opera faciat in Deo cum alacritate, ſimpliciter in eo vivens cum omnibus ſuis potentijs.

Anima à Deo poſſeſſa eſt amore ſautia etiam extra orationem ſinè impedimento vitæ activæ.

ANima devota ſubindè, etiam extra orationem, aliquo tempore, etiam longo, perſeverat in ſuavi & tenerâ inclinatione ad præfatum exercitium amoris cum iucundo cordis iubilo, faciendo ſua opera, vel etiam cum alijs loquendo iuxta exigentiam ſuæ conditionis; ſed quaſi nihil ipſe eſt cordi, in nullâ re vivit cum aliqua adhæſione, licèt alioqui videatur alacris, & exteriùs omnibus ſatisfaciat, tamen interiùs eſt quaſi ſuaviter ſauciata, tenerrimè affecta, ſimul cum ſuis, etiam ſenſitivis potentijs introtracta ad divinum ſuum obiectum, veroſimiliter cum omnimodâ ſubordinatione ad ſpiritum & ad Deum, ſimul cum illis fluendo, & operando, vel paratâ ſimul fluere, & operari in ſuo *Omni* & *Vno* neceſſario; imò ſubindè vix ſe poteſt temperare, quin exhibeat aliquod gaudium vel iubilum in loquendo, & exteriori agendi modo; & qui cum illâ loquuntur, vel eam vident, vel audiunt, facilè cogitarent, quod in re aliquâ externâ delectetur; ſed non eſt hoc; ipſa enim cum omnibus ſuis potentijs ſenſitivis & rationalibus eſt inclinata, ut amori ergà ſuum Dilectum, vel ergà Matrem amabilem, vel ergà aliquem Sanctum in Deo charum & honoratum plenas laxet habenas; & hinc indè ebullit, nihil interim agendorum prætermittens; quin imò in tali diſpoſitione facit omnia ſua alacriter, cum ſatisfactione, etiam aliorum.

Exteriùs eſt quaſi hilaris.

Principalis eius occupatio eſt in Deo, in, & extra orationem.

Ex quo patet, talem animam in hoc ſtatu, tam in oratione, quàm extra, habere ſuam principalem occupationem in Deo; atque hoc ſenſu perfectè vivere in Deo; cætera omnia quaſi tantùm attrahit per accidens, ex neceſſitate, ex charitate, vel obedientiâ, ſinè adhæſione, ſine multâ reflexione, ſinendo ſe agi à ſpiritu, & omnia incipiendo, perficiendo, & finiendo in Deo, abſque vivacitate in natura, vel in aliqua re extra Deum; vivit quidem, ſed non vivit iam ipſa, ſed ſpiritus Dei vivit in ipſa, in omnibus eius potentijs, in viſu, auditu, olfactu, guſtu, tactu, &c. ſi quidem ſpiritus quaſi ad omnes has potentias ſeſe extendens, illis dominatur, eas ſupernaturaliter animat, omnia in illis operatur, ſicque in omnibus vivit.

Spiritûs Dei vivit in illâ.

Cuius

Cuius clarum indicium eſt, quod omnes illius operationes ſenſitivæ, ſeu occupationes externæ eam non extrovertant, nec ei multiplicitatem cauſent, ſed omnia illi ſerviunt, & iuvant ad ſimplicitatem, quam novit etiam obviam habere in apparenti multiplicitate; nam omnia vertuntur in ſpiritum, & ſpiritus fluit in Deum, qui eſt ipſa ſimplicitas, ſeu ens ſimpliciſſimum. Iudicia vitæ in Deo.

CAPUT XVIII.

Quomodò anima à Deo poſſeſſa, per ſenſus, vel operationes externas, à Deo non medietur, & in omnibus perfectè in Deo vivat.

QUandò anima ſic incipit vivere in Deo, interiùs inſtruitur, quomodò ſe debeat gerere in rebus ſenſualitati arridentibus, conformibus, vel fomentum præbentibus, dum ex neceſſitate, vel decentiâ, vel diſcretione, illis utendum eſt; nempè, quod debeat eſſe valdè circumſpecta & ſollicita, ut eas trahat ad ſpiritum, & cum actuali earum excluſione diſmixtione, & omnis adhæſionis abnegatione, in Deo utatur; vel potiùs ſinendo Dei ſpiritum illis in ſe, & ſecum iuxta ſuum beneplacitum uti. Anima à Deo poſſeſſa non impeditur in Deo vivere per ſenſibilia.

Hoc habet locum in omnibus, quæ cadunt ſub ſenſum, & guſtui, viſui, auditui, olfactui, tactui nata ſunt aliquam delectationem adferre; utinam anima Deum quærens hic poſſet diſcere, quomodò Chriſtus Dominus, & eius Mater amabilis in hoc ſeſe geſſerint; ipſi ſuo tempore, congruo utebantur alimento, ſomno &c. intererant nuptijs in Cana-Galileæ &c. abſque ullo impedimento Spiritûs; vel potiùs ſinebant divinum ſpiritum omnia ſimilia, tempore & loco, in ſe operari; ad quorum exemplum etiam anima devota ſatagit omnia ſua videre, audire, guſtare, loqui &c. in Deo principaliter, & ſecundùm ſenſus tantùm quaſi per accidens & tranſeunter; undè fit, ut indè non remaneant in illâ ſpecies impreſſæ, ſeu imagines, utpotè cum illa obiecta parum vel nihil ſibi attraxerit, vel intraxerit, ſed omnia permiſerit confluere & quaſi annihilare in principali ſuâ occupatione in Deo; atque ità patet, qualiter anima Deiformis & divina adhuc ulteriùs doceatur, quomodò in Deo vivere debeat. Nec per ſuos ſenſus. Exemplo Chriſti et D. Virginis. Viſus ſenſuum cum ſubiectione ad ſpiritum.

CAPUT XIX.

Vlterior explicatio, quomodo anima Deum amans vivat in Deo, etiam in externis operibus, & ſecundùm potentias ſenſitivas.

Etiam in externis operibus poſſumus in Deo vivere.

ANima à divino ſpiritu poſſeſſa novit etiam in externis occupationibus in Deo vivere, per amoroſam reſpirationem in divinâ Eſſentiâ; ità ut fruatur iugiter ſuavi, & amicabili memoriâ illius, quem intimè diligit, & à quo tenerrimè diligitur, ſinè quo, & extra quem agnoſcit ſe non poſſe vivere, cuius Eſſentiam credit ubique diffuſam, & omnia in omnibus operari, abſque cuius nutu & ordinatione ſcit nè vel folium ex arbore cadere; in cuius ſcientiâ novit omnes ſtellas, omnes arenulas, & guttas maris, omneſque aëris atomos eſſe numeratos; ipſe enim *numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus illis nomina vocat*: in horum & ſimilium ſuavi memoriâ, & amoroſâ ad omnia iſta in Deo, & ad Deum in omnibus iſtis, converſione, ipſa dulciter vivit, atquè ità in Deo.

Occupatio animæ in Deo.

Pſal. 146. 4.

Quinam in Deo vivant.

Equidem quid eſt vivere? vivere nihil eſt aliud, quàm exercere operationes vitales, quales ſunt, videre, audire, guſtare, olfacere, ſentire, loqui, ire, ſtare, cogitare, deſiderare, &c. nam qui has habet operationes, proculdubio vivit; & conſequenter, qui iſta facit in charitate Dei, vivit in charitate Dei, qui iſta agit, cum amoroſâ reſpiratione, & actuali memoriâ ſeu fide divinæ præſentiæ, is vivit in Deo; quemadmodum aliquis faciens ſua opera, cum reſpiratione in aëre, vivit in aëre, & piſcis natans in aquâ, dicitur vivere in aquâ.

Quomodò in Deo comedant, & alia externa faciant.

Verbi gratiâ, ſi anima devota ſumat neceſſarium alimentum cum amoroſa attentione ad Deum, vel in Deo; eo ipſo exercet unam actionem vitalem in charitate, & conſequenter in Deo; ſi cum alijs loquatur de rebus neceſſarijs vel utilibus, cum actuali reſpiratione, vel cum amoroſa reminiſcentia divinæ præſentiæ, exercet operationem vitalem in Charitate, & conſequenter vivit in Deo; ſi aliquid videat, audiat, guſtet, olfaciat, ſentiat, ſi manibus laboret, ſi ſtudeat, confeſſiones excipiat, concionetur, infirmos viſitet, divinis officijs interſit, ſi in culinâ vel alibi, aliquo opere obedientiæ, charitatis vel neceſſitatis impediatur, cum ſuavi converſione ad Deum, in quo ſe confidit vivere, moveri & eſſe, eo ipſo vivit in charitate, atque adeò in Deo, quià *Deus charitas eſt*.

1. Ioan. 4. 15.

Porrò ad hanc iugem, amoroſam vitam in Deo, hortatur Apoſtolus, dum ait, *vigilate, ſtate in fide, viriliter agite & confortamini, omnia veſtra in charitate*

1. Cor. 16. 14.

Digitized by Google

tate fiant; ſi quidem cum dilectus Chriſti Diſcipulus dicat, *Deus Charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo*; ſimiliter nobis dicere licet, Deus Charitas eſt, & qui facit in charitate ſuas operationes vitales, facit ſuas vitales operationes in Deo, & Deus in illo; ulteriùs cum vivere nihil ſit aliud, quàm facere operationes vitales, omnes, qui faciunt operationes vitales in Deo, vivunt in Deo, & Deus in ipſis; atque ita aſſequitur anima devota vitam divinam in Deo. 1. Ioan. 4. 16. Qui vivunt in Charitate in Deo vivunt.

Iam tempus eſſe videtur nonnihil agendi de modis internæ orationis, quibus anima devota uti poteſt, quæ in hac vitâ in Deo, proficere deſiderat; etenim hæc vita per internam orationem neceſſario debet foveri, confortari, & ſtabiliri: quapropter de hac tantiſper hic agendum eſt, & poſtmodum adhuc ulteriùs explicanda praxis vitæ in Deo, utpotè cum ſit propriſſimus fructus orationis internæ.

CAPUT XX.

Aliqui modi internæ orationis per ſubductionem ſui ab omnibus, & elevationem mentis in Deo; vel per evolationem & quietem in Deo, extra omnia creata; vel cum reverentiali attentione; vel cum libertate Spiritûs, vel cum reſignatione in ariditate &c.

ANima ſpecialiter tracta ad vitam divinam in Deo, plerumquè in oratione ſe reperit in magnâ quiete, intimitate, & abſorptione in Deo, cum ſuavi ſubterfugio omnium aliarum occupationum, vel reminiſcentiæ cuiuſcumque rei. Varij modi orationis eorum, qui conantur vivere in Deo.

Aliquandò nullam ſingularem in operationem percipiens, initio ſeipſam iuvat cum activâ annihilatione, & exercitio fidei; ſicque aſſequitur ſimplicem quietem in Deo, conſervando mentem in quâdam elevatione, ſupra omnes imaginationes aut ſpecies creaturarum, cum reverentiali attentione, & continuâ renovatione aſpirationis ad informem Eſſentiam Divinitatis, ſi quid tunc menti accurrat, facilè ſine reflexione præteritur, cum evolatione ſpiritus in Deo, ſuprà omnia obiecta creata; ubi ſpiritus ſeſe occupat in quâdam adoratione, ac Deo intimè vacat, non reſpiciendo inferiùs: hoc ſubindè fit cum activâ evolatione, & ſupertenentiâ, ſed poſteà activus conatus minuitur, &, pro aliquo tempore, ſequitur ſatiativa quies in Deo; quæ dum remittitur, anima rurſus ſeſe iuvat cum activâ dimiſſione reflexiones ad omnia, & cum actuali ſupervolatione, inſtar avis, quæ in ſublimi Anima per annihilationem activam aſſequitur quietem in Deo, in quadam elevatione mentis. Per activam elevationem ad ſatiativam quietem in Deo.

In Deo quaſi avis in aëre omnia ſupervolat.

ſublimi librat alas & expenſas tenet, ut ibi hæreat, non deſcendendo inferiùs, ſicque aëris intemperiem relinquit infrà, ipſa manendo in tranquillo & puro aëre, cum aliqua fruitione eiuſdem, & contemplatione alicuius claritatis.

Diſpoſitio animæ poſt intimam orationem.

Poſt talem orationem anima reperit ſeſe planè introtractam, à ſenſibus alienatam, cum propenſione ad ſic manendum, omninò tranquilla, & idonea, ut ſoli Deo hæreat intenta, & omnia ſua opera faciat in lumine fidei.

Oratio quietis in Deo.

Aliquandò anima in oratione adipiſcitur magnam quietem, ſed non ſinè activo ſubterfugio & diſmixtione omnium imaginationum, & actuali ſuper-tenentiâ Spiritûs in reverentiali attentione ad Deum; per quam tamen aſſequitur deſideratam quietem, tranquillitatem, ſimplicitatem; eique videtur, quod paulatim poſſet acquirere habitum, omnia creata ſinè reflexione dimittendi, vel non attrahendi; quamquam non ſinè labore & fatigatione, quàm diu Dilecto non placet, eam prævenire paſſiva extricatione, ſeu ultronea evacuatione omnium, quæ ipſe non ſunt, & gratioſa occupatione in ipſo ſolo; id quod ipſe in illa, ſed aliquouſque cum illa, abſque tamen magna activitate, non rarò operatur.

Oratio interna laborioſa dum Deus non agit.

Equidem certum eſt, dum Deus in anima operatur, eamque in ſe extra omnem ſtrepitum occupatam tenet, tunc omnia quaſi ſponte & ultrò fluunt, ſuaviter, & ad votum; ſed quandò Deus ſeſe quaſi ſubtrahit, ſinendo animam agere, tunc omnia procedunt, quaſi violente, cum tenſione ſpiritûs, cum labore & fatigatione; & hinc erat proverbium antiquorum Patrum, *non eſt labor, ſicut labor orationis.*

Oratio libertatis ſpiritus in Deo.

Aliquandò anima, efficaciâ fidei quaſi omnia ſupervolans potitur quadam libertate ſpiritûs in Deo, in quo conſiſtit cum adoratione, vel cum amoroſo, & quaſi Divinitatem reſpirante animo; tunc benè intellit, quid ſit Deum adorare, & ei adhærere in ſpiritu; tunc facilè dimittit, quidquid illi occurrit; & ſi de aliquâ re, v. g. paſſione Chriſti, de Matre amabili, vel alijs in Deo charis cogitare deſideret, id videtur poſſe facere in illâ ſublimitate, non ſinendo ſenſus colludere, & cum excluſione imaginationis, vel partis ſenſitivæ, ſolummodò potentias rationales ſimpliciter circà illa occupando, cum debitâ ſubordinatione partis ſenſitivæ ad rationalem, & rationalis ad ſpiritum fidei, qui tunc prædominatur, manente animâ in Deo occupata cum plena libertate, & facili excluſione omnium, quandò, & quamdiù ipſi placet: hinc etiam videtur in anima paulatim creſcere conſuetudo ſeu habitus manendi in tali elevatione in Deo; velut in ſuo centro; inveniendi & fruendi optatiſſima quiete, cum excluſione omnium creaturarum, & ſuavi reſpiratione in ipſo.

Effectus hujus orationis.

Si Deus animam relinquat in magna ariditate; ratione cujus veretur,

nè

Digitized by Google

nè quid in ſe Deo fortè diſpliceat, tunc juvat ſe rationibus, & equidem pergit in ſuis ordinarijs, conando ſe tranquillam & quietam ſervare, abſque eo, quod aliquid melius prætendat; ſed committit ſe divinæ Providentiæ, quaſi ſinè fulcro, vel quiete in aliquo, velut in incerto, ſecundùm rationem ſubſidendo in ſuo nihilo, non tamen ſinè fiduciâ in Deo, & in Matre amabili, quamquàm & hoc ſinè ſenſibilitate; tùm etiam hinc indè exercet precatiunculas jaculatorias, & reverentiales, humiles & amoroſas converſiones ad Sanctiſſimum Sacramentum, ad Sanctam Crucem, ad Divam Virginem; verùm omnia ſinè ſenſibili ſatisfactione; quod ipſi durum eſt, ſed ſinè internâ inquietudine; ſolummodò deprecando, ut, ſi quid ſit in ipsâ Deo diſplicens, ipſe in eâ corrigere & emundare dignetur; deniquè agnoſcens ſeſe omni Dei gratiâ indignam, humili, ac pœnitenti animo iſtam ſobriam diſpoſitionem patitur ſuaviter, aliquandò dicens cum Prophetâ, *ut jumentum facta ſum apud te, & ego ſemper tecum*, tuâ eſſentiali præſentiâ benè contenta, & ſatisfacta.

Modus orationis in ariditate.

Cum reſignatione.

Sinè inquietudine.

Pſalm. 72. 23.

CAPUT XXI.

Modi aliqui ſuaviores orationis internæ, dùm anima paulò melius eſt affecta; per ſimplicitatem; per effluxum amoris, & quietem in Deo; per claram notitiam Veritatis; per libertatem ſpiritûs in Deo; per exercitium tenerrimæ dilectianis ſub imperio ſpiritûs.

PRætactos modos internæ orationis exercet anima cum labore, & fatigatione, utpotè parùm vel nihil Dei inoperationem ſentiens; ideòque tunc facit quaſi proprias expenſas, conando ſe pro viribus juvare, contrà malam ocioſittatem, & ſpiritum Dei nonnihil ad ſe trahere; verùm, dùm experitur aliquem devotionis affectum, exercet orationem modo ſuaviori, nimirùm.

Remedium contrà fauſtum ocium.

Aliquandò ſatagit ſe tenere introverſam cum ſuavi excluſione omnium objectorum ſenſibilium; ſed hoc non fit cum magnâ intimitate, neque etiam cum notabili multiplicitate, aut expanſione potentiarum ſenſitivarum; ſi quidem ſpiritus videtur ſui potens, ut ſe in intimo recollectum, occupatum & tranquillum conſervet: eò quod etiam mens benè ſit inclinata, & utcumque tenera in amore; ſpiritus hinc indè, pro ſuo placito, permittit aliquos amoroſos aſpectus ad Matrem amabilem cum aliquo verbo amoris ad ipſam, vel ad Jeſum, ſinè alia multiplicitate; & ſic iterùm

Oratio ſimplicis ſatietatis in Deo.

Quomodò foveatur.

Digitized by Google

manet introverſus; verùm iſti aſpectus etiam fiunt ſub imperio & directione ſpiritûs, atque adeò ſinè extroverſione, vel vivacitate ſenſuum, quaſi mortificanter, vel quidem ebullienter, ſed illicò ſubſidenter & fluenter in Deo; quemadmodùm aliquis quieſcens vel ſemi-dormiens oculos aperit, ſed eos ſtatim claudens ſeſe iterùm dat quieti: hæc praxis plurimùm ſervit pro pabulo ſpiritûs contrà falſum ocium, præcipuè dùm ſpiritus intus non multum percipit operationem Dei, & ſeſe adhuc cum aliquâ activitate juvare debet.

Contrà falſum ocium.

Oratio activæ ſimplicitatis.

Aliquandò anima devota facilè in oratione introvertitur, ſed abſque intimâ ſimplicitate; aliqualem tamen tunc ſimplicitatem exercere poteſt, cum ſuavi conatu quaſi ſubterfugiendo quidquid ad reverentialem, adorativum, ſubjectivum, ſeu reſignativum, vel amoroſum animum & inclinationem ad Dilectum ut intus manentem, conſervandum vel fovendum conducere nequit.

Illuſtrationes intellectuales.

In hac oratione, hinc indè occurrunt notitiæ myſteriorum, vel ſacræ Scripturæ explicationes, ſignificationes, vel impreſſiones aliquarum Veritatum cum magnâ claritate; & hoc, ut videtur, ſolummodò in parte rationali per ſpecies intellectuales, quaſi ſeparatim à potentijs ſenſitivis, cum proſecutione materiarum, quaſi ultrò, cum facili excluſione aliorum objectorum.

Libertas ſpiritus in oratione.

Anima tunc etiam videtur potens ſui, ut pro ſuo beneplacito aliquid addat; attamem abſque rudi activitate; tunc videtur contemplari aliquas veritates quaſi in ſpeculo tranſeunter; ejus inclinationes, & voluntatis affectiones ſunt ſecundùm exigentiam veritatum, quas cognoſcit, ſed ſinè impetuoſitate, cum magnâ tranquillitate, & animi modeſtiâ: dùm hæc iterùm ceſſant, remanet anima omninò libera, benè inclinata, ſubindè cum ſimplici aſpectu ad Dilectum, vel ad Matrem amabilem, tranſeunter, fluente ſpiritu in attentione reverentiali, cum modeſtâ extricatione cujuſcumquè rei, quæ poſſet ſe ingerere.

Impetuoſius amor ſub directione ſpiritûs.

Posteà aliquandò anima eſt nonnihil impetuoſior in charitate ad ſuum Dilectum, & unà cum potentijs ſenſitivis & ſpiritualibus diffluit in exercitium alicujus tenerrimi, & innocentiſſimi amoris velut ad Sponſum dulciſſimum, ad ipſum amorem, ad originem & fontem omnis boni; activè quidem, ſed tamen ſub comprehenſione & directione ſpiritûs, qui omnia temperat, nimiam vivacitatem modificat, & omnem adhæſionem præpedit; undè etiam venit, quod exiguæ poſtmodùm de illis ſpecies remaneant in phantaſiâ.

CA-

Digitized by Google

505

CAPUT XXII.

Quomodò ſubindè anima in oratione, ſinè coôperatione potentiarum ſenſibilium, in Deo occupetur, operante tamen intereà phantaſiâ ſinè interturbatione ſpiritûs; ex quo poſſit ſcire, an in Deo fuerit occupata, nec nè.

ALiquandò anima incipit orationem cum diſpoſitione, ſeu propenſione ad magnam quietem, in principio valdè intimè, & poſteà quaſi cum inclinatione ad quietem amoris in ſuo Dilecto; ad quam ſe diſponit; nec ſcit, quomodò hora vel amplius, tam citò tranſierit; verùm memoria confusè refert, aliquas illuſtrationes & veritates in ſpiritu tranſijſſe, in omnimodâ abſtractione à potentijs ſenſitivis, quodque cogitarit illas retinere, ut annotaret, ſed etiam nihil diſtinctè occurrit: tunc anima hinc indè habet aliquam ad ſe reflexionem, ſed intima quies tenet ipſam interiùs, & ſinit illam reflexionem evaneſcere. *Oratio intimæ quietis in Deo.*

Poſteà ipſi videtur, aliquandò fieri, quod quandò Deus animam operatur & introtrahit, ad ſecum vacandum contemplationi vel ſuæ informis Eſſentiæ, vel aliquarum veritatum, vel ad amorosè in ſe quieſcendum, abſque colluſione partis ſenſitivæ; potentiæ ſenſibiles tunc videantur excluſæ, abſque eo, quod poſſint expiſcari, quid in intimo ſpiritu agatur, ubi mens ſinè phantaſmatibus, vel ſpeciebus imaginativis in Deo occupatur, abſorbetur, vel intimè quieſcit; porrò ſicuti, homine dormiente, potentiæ rationales ſunt ſuſpenſæ à ſuis liberis operationibus, non tamen ideò phantaſia, aliæque potentiæ ſenſitivæ intereà ceſſant operari, agentes ſimiam potentiarum rationalium, & cauſantes ſomnia ſinè coôperatione potentiarum rationalium; ità etiam dùm anima dicto modo introtracta, in Deo occupatur, vel intimè quieſcit, cum excluſione imaginationis, & aliarum potentiarum inferiorum, hæ tamen non ideò ſemper ceſſant à ſuis operationibus, & activis imaginationibus; cum adhuc ſeparatim videantur habere ſuam naturalem girandi libertatem; atque ità ſubindè contingere videtur, quod anima amoroſa ſecundùm ſpiritum in Deo occupetur & à Deo agatur, ad quieſcendum in illo invidetur; ipſi omninò ſpiritualiter & intimè vacet; ac intereà ſecundùm potentias inferiores videatur ſomniaſſe; undè ſuſpicatur, & eſt anxia, nè per malum ocium naturaliter dormierit. *Sinè colluſione partis ſenſitivæ.* *Quomodò potentiæ ſenſitivæ operentur in ſomno.* *Etiam in oratione quietis.*

Ut autem hîc diſcernere poſſit, quo ſpiritu agatur, debet reflectere ad ſuam diſpoſitionem remanentem poſt illam intimam orationem, quæ talibus

Signa bonæ vivacitatis & ſomni amoris.

bus imaginationibus fuit mixta, vel potius cincta; etenim ſi poſteà ſuaviter & ſimpliciter maneat converſa ad Dilectum ſuum, quaſi adhuc anhela ad amoroſam quietem in ipſo, cum abſtractione & alienatione ſenſuum, ità ut hi quaſi ſopiti, temperati, modificati, ſinè vivacitate ſubſint directioni ſpiritûs cum reminiſcentiâ, quod, durante illâ quiete, aliquid divinum experta fuerit, cum perceptibili extra manentiâ potentiarum inferiorum; anima certò confidere poteſt ſe benè in Dilecto ſuo quieviſſe; ſin autem èconträ ſeſe vivam deprehendat ſecundùm ſenſus & potentias inferiores, ſinè dictâ abſtractione, vel inclinatione ad quieſcendum in Deo; ſed potiùs ſe ſentiat extroverſam ad creaturas, vivaciorem, & magis mente diſtractam ac diſſolutam; pro ut poſt ſomnum naturalem, ordinariè potentiæ ſenſitivæ, ſunt liberiores, vigilantiores & vivaciores; meritò ſibi perſuadeat ſuam quietem pro majori parte fuiſſe naturalem.

Signa falſæ quietis, &c.

CAPUT XXIII.

Somnus amoris in Deo, etiam ſatisfacit naturæ; quomodò Sponſa, & Mater amabilis ſic etiam in Deo dormiendo poterant mereri, & vivere in Deo.

Oratio quietis etiam ſatisfacit naturæ.

ADvertendum tamen eſt, quod per intimam iſtum quietem, & amoroſum ſomnum in Deo, etiam naturæ ſatisfieri videatur; ità ut anima iſtis paſſim fruens, modico ſomno corporali opus habeat, pro ut eos experientia docere videtur; cujus ratio eſſe poteſt, eò quod potentiæ rationales in tali diſpoſitione, etiam quieſcere dignoſcantur, ac paſſivè magis, quàm activè à Deo in quiete agantur; potentiæ verò ſenſitivæ ſeſe tunc habeant, ſicut tempore ſomni naturalis; atqui naturæ eſt perindè, ſivè quieſcat in Deo, ſivè aliter, ſeque ſentit æquè ſatisfactam, modò quieſcat; atque etiam tempore quietis in Deo, poſſunt vapores conſumi, & conſequenter tùm ſpiritus, tùm corpus indè ſublevantur, & benè diſponuntur, etiam ſecundùm naturam; undè etiam venit, quod anima devota in tam ſuavi diſpoſitione, cum ſuâ naturâ non habeat moleſtiam, eò quod natura, iſtius quietis in Deo fiat particeps, & facilè diceret cum Apoſtolo Petro, *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe*; idcircò tunc ſe libenter accommodat ſpiritui, ſinè ullâ repugnantiâ, & ibi ultrò colludit, licet in alijs occaſionibus plures mortificationes ſubire deberet, quia jam hîc eſt ineſcata, & experitur, ſibi jam melius eſſe cum ſpiritu, quàm anteà extrà Deum cum corpore.

Iſtius ratio.

Satisfactio naturæ in quiete in Deo.

Natura ſe conformat ſpiritui.

Fortaſſis

Fortaſſis ſic contingebat Sponſæ in Canticis, quandò dicebat, *ego dormio*, ſc. ſecundùm potentias inferiores, *& cor meum vigilat*, utique ſecundùm Spiritum in Deo: forſitan talis ſomnus amoris in Deo, ſerviebat Matri amabili, etiam loco ſomni naturalis; atque hoc ſenſu poſſunt intelligi aliqui Sancti Patres dicentes, eam etiam per ſomnum non fuiſſe impeditam à meritoriâ occupatione in Deo, & ab actuali ejus dilectione; quia nimirùm cum potentijs rationalibus intimè in Deo erat abſorpta, & amorosè occupata, atque ſimul ſupernaturaliter & naturaliter quieſcebat, vel potiùs ſolùm ſupernaturaliter, ità tamen ut naturæ etiam fieret ſatis.

Spiritualis ſomnus & vigilia.

D. Virgo fovebatur ſomno amoris.

Ex quibus patet, quod anima Dei amans, ad talem quietem vel ſomnum amoris in Deo ſtabiliter tracta, etiam dormiendo Deiformiter & divinè in Deo fæliciſſimè vivat, ſed quis eſt hic?

CAPUT XXIV.

Praxis intimæ orationis & quietis in Deo: item modus internæ orationis ad Deum habendum obvium in omnibus rebus, pro animabus in Deo viventibus, quarum vita eſt continua oratio, inveniendo Deum in omnibus.

ALiquandò anima amoroſa in oratione ſeſe invenit in magnâ quiete, & intimitate, valdè ſuaviter introtracta, & propenſa ad quieſcendum in Deo, abſque eò, quod debeat uti aliquâ impetuoſâ activitate vel induſtriâ, ſolummodò retinendo ſimplicem, ſuavem & reverentialem reminiſcentiam Dei; tunc ei mirum videtur, quod etiam una hora, vel plus ſic tranſeat, non ſciendo, quomodò; niſi quod per intervalla hinc indè videatur comitata fuiſſe aliqua reſumptio, ſeu renovatio reverentiæ ſinè aſpirationis, & applicationis ſpiritus ad Deum, & deindè manſerit tranquilla quies cum facili excluſione reflexionis ad ſeipſam, vel alias creaturas in Deo.

Oratio intimitatis & introtractionis paſſiva.

Aliquandò pia omnia, tempora orationis, tantum eſt mediocriter introverſa, non tamen intimè, uti in antecedente diſpoſitione, interim occupatio in Deo fit per exercitium fidei cum aſpiratione, reverentiâ, & applicatione ſpiritûs ad divinam Eſſentiam, &c. uno verbo, iuxta exigentiam vitæ in Deo; quamquam non notabiliter ſecundùm ſpiritum acta.

Oratio rationalis & activæ introtractionis.

Nihilominus tota anima cum omnibus ſuis potentijs occupatur ad Deum, vel potiùs in Deo; illum habendo, pro unico ultimo fine omnium

Digitized by Google

ſuarum operationem, intentionum, deſideriorum, anhelationum, cum actuali excluſione, vel conatu excludendi omnia alia obiecta, in quantum poſſent ſpiritum multiplicare, vel ab obiecto divino alienare, vel ad illud non conducere; quod hic addo, quià quandò anima ſuprà vel extrà omnem perceptibilitatem, non intimè trahitur, ſæpè fit, quod ſpiritus equidem ſe ipſum cum ordinariâ gratiâ, quæ ſemper eſt ad manum, iuvando, & potentijs ſenſitivis, earumque obiectis prævalendo, & aliundè internis illuſtrationibus benè affectus novit per activam ſimplicitatem omnia in Deum convertere; ſic, ut omnia, & etiam potentiæ inferiores cum ſuis obiectis, multum ſerviant, ut anima diſcat & aſſueſcat invenire Dilectum ſuum in omnibus creaturis, & omnes creatura in ſuo dilecto, non ſolum tempore orationis, ſed etiam extra.

Per activam ſimplicitatem poteſt Deus inveniri in omnibus.

Quandò hoc ità fit, tum anima facilè poteſt ſe in Deo recollectam & benè affectam conſervare, nam viva fides ei ſerviens inſtar faculæ ad detegendum illi in omnibus Dilectum ſuum, facit, ut eum inveniat, amplectatur, aſpiret, adoret, & amat in omnibus, quæ ſenſibus, viſui, auditui, tactui, guſtui &c. obviant; id quod tempore orationis eam ſuaviter occupat; & ipſa tunc ſe reperit nec introverſam, nec extroverſam, nec ſuprà nec infrà tractam, ſed quidquid primò obvium habet ſivè interiùs, ſivè exteriùs, in eo obvium invenit Dilectum ſuum; quòd ipſe eſt valdè facilè, pro ut facile eſt, occupare ſuas potentias & ſenſus circa ſua primò obvia obiecta.

Fides docet Deum invenire in omnibus.

In rebus obvijs.

Similiter extra orationem per hoc non rarò experitur magnam cordis lætitiam, & verſatur in iugi contemplatione divinæ præſentiæ, vel divinarum perfectionum in creaturis, & creaturarum in Deo, abſque eo quod indè impediatur in ſuis ordinarijs agendis; hoc voluit Apoſtolus ſignificatum, dum ait, *inviſibilia Dei à creaturâ mundi intellecta conſpiciuntur per ea, quæ facta ſunt*; eo quod nimirum, omnes creaturæ animæ illuminatæ ſeu in vivâ fide exercitatæ quaſi emittant aliquas ſcintillas, ad viniendum in notitiam Creatoris, qui ſuâ divinâ Eſſentiâ omnia replet, & dat omnibus eſſe & operari, pro ut fides docet; atque ità non eſt difficilè Deo vacare; imò tota vita animæ amoroſæ eſt continua oratio, & ſuavis in Deo occupatio; quod mirum videri non debet, quia, ut ait ſapiens, *à magnitudine ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator horum videri*, & conſequenter adorari, & amari.

Quam iucundum, Deum invenire in omnibus.

Rom. 1, 20.

Hoc eſt continuò orare.

Sap. 13, 5.

CA-

CAPUT XXV.

Quandò Deus non ſpecialiter operatur in animâ, debet ſeipſam iuvare, ut ſpiritui pabulum ſuppeditet; quomodò tunc aliquando tenerrimè agatur.

Quomodò anima in aciditate ſe gerere debeat in oratione.

DUm pia anima in oratione non experitur aliquam ſingularem inoperationem, vel introtractionem, vel intimitatem, tum contra falſum otium uti debet aliquâ activâ ſimplicitate, ſive actuali excluſione omnis inutilis multiplicitatis in potentijs internis, ſimiliter hinc indè aliqua actuali Spiritûs applicatione, vel renovatione reverentialis attentionis ad Deum, vel aliquid aliud attrahere, quo ſeipſam iuvet, & ſpiritum in Deo occupet, ſicque tempus utiliter tranſigat.

Spiritûs Dei vult ab animâ iuvari.

Itaque aliquandò, in oratione, ſpiritus Dei parùm operatur, & videtur ab anima velle iuvari; non quià eam non poteſt totaliter ad ſe trahere & ſuperare; ſed quià vult experiri, utrum anima etiam ſit parata facere ſuum poſſe cum minori gratiâ, quò ſic mereatur maiorem; quocircà tunc fideliter debet adhibere manum operi, quaſi Deo volens coöperari; non tamen debet nimis vivaciter & activè ſe habere, ſed moderatè, modeſtè, quaſi ſpiritum inſequendo, & aliquod pabulum adferendo; verum quià ſpiritus etiam coöperatur, non eſt tum difficile potentias ſenſitivas continere in quiete, ne ſpiritum conturbent vel multiplicent, quià tum ſunt quaſi domitæ, paratæ ad obſequium ſpiritus, de ſe non impetuosè, nec vivaciter operantes.

Oratio activæ occupationis in Deo, cum ſubiectione ſenſuum.

Ista oratio terminatur in languenti amore Dei vel D. Virginis.

Vndè dum ſpiritus tunc nonnihil tenerè agitur, ſive in amore ad Deum, ſive ad Matrem amabilem, ſive in pijs affectibus ad aliquos ſanctos, illicò iſtas potentias habet ad ſuum nutum, eaſque ponendo in opere, unà cum illis operatur, ſuaviter, & cum bonâ ſubordinatione, ſimul fluendo in Deum, & poſt aliquas innocentes operationes, ſivè ad Dilectum, ſivè ad Matrem amabilem, quaſi debilis & amore languidus, vel per innocentes & affectivas operationes, aſpirationes & allocutiones quaſi laſſatus, anhelat ad quieſcendum in Dilecto; atque ità ſubindè fit, quod omnes animæ potentiæ, imò membra, & quidquid eſt in corpore, ſimul deficiant, ſe diſponendo ad amoroſam quietem vel ſomnum in Dilecto, vel ad ubera Matris amabilis.

In eâ anima eſt ſicut tenera ſponſa, vel innocens puer.

Quemadmodùm delicata ſponſa, & innocens puer poſt aliquod tempus in exercitio dulciſſimi amoris cum ſponſo, vel cum chariſſimâ matre tranſactum, & indè laſſati, ſeſe moderantur, & diſponunt, vt in ſinu, vel amo-

roſis amplexibus conquieſcant; eodem quippè modo contingit animæ devotæ, poſtquam & interno vel ultrò fluente divini ſpiritus inſtinctu & inclinatione, tam innocenter egit partem delicatæ ſponſæ, vel innocentis pueri: verum hæc defectio, ſeu amoroſa quies terminatur cum applicatione Spiritûs, & refluentiâ, ſeu amiſſione omnium in informi, & abyſſali Eſſentiâ Dei; nonnunquam etiam velut in Brachijs Dilecti cum amoroſo oculo ad Matrem amabilem.

Cum refluxu in Deum.

CAPUT XXVI.

Quomodò fidelis anima ſe gerere debeat, quando potentiæ ſenſitivæ ſunt in commotione; & quomodò in ariditate & derelictione, in Deo vivere poſſit.

Quomodò anima partem inferiorem poſſit tranquillare.

QUandò anima percipit, partem inferiorem ſe non benè accommodare, ſed quaſi luſum turbare, & ſuâ nimiâ vivacitate ſpiritum deprimere; itâ ut experiatur, quod obiecta ſenſibilia, v.g. ſenſibus, guſtui, viſui, tactui multum arrident, & gratum pabulum afferunt, de facto etiam potentias rationales afficere, movere & allicere incipiant; tunc illicò adhibenda eſt ſtricta circumſpectio, quò potentias ſenſitivas moderetur, & ſpiritum per vivam fidem figat in ſublimitate divinæ Eſſentiæ, cum activa evolatione ex omnibus, quæ in parte inferiore aguntur, ſibi etiam aliqualem vim faciendo, donec ſpiritus ab omnibus extricatus congruâ in Deo libertate potiatur, & pars inferior inſtar aquæ turbidæ, ſit tranquillata & defæcata.

Quomodò ſe in ariditate genere debeat.

Deum invenire in omnibus obvijs.

Quandò Deus animam relinquit in ariditate; itâ ut, nec ſpiritum in ſublimitate ponere, nec introvertere, nec aliter per fidem iuvare poſſit, ut aliquam ſtabilitatem inveniat in bonis cogitationibus, vel Deum in mente habeat; tum non eſt conſultum multum urgere ſpiritum, vel violentiam inferre; ſed conſultiùs omnia modeſtè dimittet, & oculos aperiet ad quævis ſibi proxima & obvia, vel ad aliquam piam imaginem, vel quidpiam aliud, ut illa in Deo, & Deum in illis, ſimplici fidei oculo, aſpiciat, & obviam habeat, non ſe intrà vel extrà, vel ſuprà vertendo, ſed ad id, quod eſt primò obvium, vel ad quævis occurrentia.

Praxis orationis in ariditate.

Atque hæc eſt nova praxis orandi, potiſſimè ſerviens tempore ariditatis & internæ derelictionis, item omni tempore & loco, n. per nudam fidem Deo obviare in omnibus obiectis ſenſuum; quod etiam uſu venire poteſt in omni genere ſenſibilium, carnalium, guloſarum, vel aliarum tentationum, in quibus dum anima non benè ſe poteſt in ſpiritu elevare, vel ab

obie-

Digitized by Google

obiectis ſeu ſpeciebus ſenſualibus ſe extricare, vel vivacitatem partis inferioris temperare, nec extra nec ſuprà ſe in Deo occupare, nihil meliùs poteſt facere, quàm ſe convertere ad obiecta ſenſualia, ad imaginationes, commotiones, propenſiones, affectiones, quaſi interrogando, an Dilectus cum ſuâ Eſſentiâ, & voluntate ſaltem permiſſivâ, in illis etiam non ſit præſens, ſicut in alijs creaturis? & conſequenter in illis, ſicut in alijs rebus per oculum fidei debet eum detegere, & ſimplici intuitu contemplari, cum ſuavi querimoniâ ad Dilectum, & voluntariâ ſuſtinentiâ eorum, quæ ſpiritum moleſtant, vel cum modeſtâ converſione ad Deum, vel in Deo, & conſtanti rationis & voluntatis averſione ab omnibus, quæ Deo in illis diſplicere poſſunt.

Efficax remedium contra tentationes.

Deum videre in omni obiecto.

Hoc fit ſinè violentia, cum fides doceat Deum in illis per ſuam Eſſentiam & , ut minùs, voluntatem permiſſivam, tam benè eſſe præſentem, quàm in alijs rebus; & intereà, tali modo Deum invenire, & videre, etiam in iſtis obiectis, in iſtis ſenſibilis, in iſtis diſtractionibus & malis inclinationibus, ſervit ſenſualitati pro freno; ſicque ſpiritus paulatim prævalet etiam in iſtis, quæ ſunt extra animam; ſeipſum juvando per fidem, quò ſic, ut ità dicam, etiam extrà animam vivat in Deo, quem iſtâ induſtriâ, ubique habet obvium, ut dantem eſſe, vivere & operari omnibus creaturis, bonis & malis; quo modo etiam in ſtatu derelictionis, internæ caliginis, & paupertatis poteſt anima amoroſa vivere Deiformiter, & divine in Deo.

Sinè violentiam.

Quomodò in Deo vivendum etiam in ariditate.

CAPUT XXVII.

Quomodò potentiæ ſenſitivæ in animâ perfectâ ſubijciantur rationabilibus, & hæ Deo, ſolummodò in rebus Deiformibus; ſed in difformibus & ſenſualibus oritur diſordo, & rebellio in animâ, niſi tempeſtivè provideatur.

EX diverſis modis internæ orationis, de quibus hic egimus; ſatis liquet, quod anima Deum amans potiſſimum ſuum pabulum haurire debeat ex oratione, quò ſtabiliter in Deo vivat, tam tempore internæ præventionis, illuminationis, & dulcedinis, quàm tempore ariditatis, & internæ derelictionis; idque cum bona ſubordinatione partis inferioris ad Superiorem, & Superioris ad Deum.

Pabulum vitæ in Deo ex oratione.

Nunc cum Dei gratiâ pergemûs in demonſtranda praxi vitæ divinæ in Deo, vi pabuli ſpiritualis ex oratione provenientis; atque ut incipiamus.

Digitized by Google

Subiecto partis ſenſitivæ eſt tantum in Deiformibus.

Dum anima ordinariè eſt in tali diſpoſitione, ut ſenſus ſe accommodent juxta imperium, & directionem partis Superioris, & pars Superior ſtet parata auſcultare vocem, & ſequi directionem Dei; tum experietur, quod iſta ſubordinatio potentiarum inferiorum ſolummodò locum habeat, quandò obiecta ſenſibilia, vel ſenſibiles operationes ſunt Deiformes, ſeu divino beneplacitò conformes, juxta præſcriptum obedientiæ, Charitatis aut neceſſitatis, attenta vniuſcuiuſque ſtatu & conditione, ad quam à Deo vocatus eſt, vel in qua poſitus; nam dumtaxat in his illuminatus ſpiritus vult vel poteſt colludere cum parte ſenſitivâ, atque in his ſolis vult ſenſus, & potentias ſenſitivas obumbrare, comprehendere, & ſub ſuâ directione ſuſcipere; idque facit facilè, ſuaviter & ſimpliciter, quaſi omnia ſpiritualizando, ſeu in ſpiritum convertendo, & faciendo ſpirituali modo operari, & ſecum, pro ſuo beneplacito, cöoperari.

Non in ſenſualibus.

Verum in ſenſualibus obiectis, vel operationibus, quæ non ſunt Deiformes, vel ſecundùm exigentiam ſui ſtatus & conditionis, vel quas amor propriùs intrudit, vel quibus anima cum vivacitate, adhæſione, vel propriâ quæſitione occupatur, etiamſi fortè ſenſualia objecta, vel operationes aliundè forent Deiformes; in illis ſpiritus non colludit, ſed ab illis ſe ſpiritus ſeparat, & anima ſtatim percipit, quod pars inferior ſit in commotione, noxiâ vivacitate, & comturbatione, quaſi ſinè freno, & ordine; ſicque incipiat ſpiritui contrariari, eum obtenebrare & deprimere, vel etiam ad ſe allicere, faciendo evaneſcere omnem ſimplicitatem per ſuam multiplicitatem, & nimiam vivacitatem, ſicque conando ſpiritui prævalere & dominari.

Rebellio partis ſenſitivæ in non Dei formibus.

Quomodò confuſio partis ſenſitivæ ſit tollenda.

Quandò hæc ſic contingunt, anima conſequenter experitur, omnia in ſe eſſe in confuſione & ſinè ordine, nec ſpiritum Dei ibi poſſe habere directionem; niſi tempeſtivè provideat, & illas non Deiformes, ſenſuales, vel alias rudes operationes dimittat, vel, ſi, ſint Deiformes, neceſſariæ, vel utiles, omnem indè amorem proprium abſtrahat, omnem ſenſualitatem, aut adhæſionem actualiter abneget, & nimiam vivacitatem, per mortem amoris, & efficaciam nudæ aut vivæ fidei temperet; ut ſic omnia à parte ſenſitivâ ad ſpiritum attrahat, & eius directioni ſubijciat, & ſpiritum Deo.

CA-

CAPUT XXVIII.

Quomodò anima debeat tempeſtivè attendere, quando per externas occupationes, vel aliter nonnihil à fervore ſpiritûs defecit, ut vi orationis eum recuperet.

Variæ cauſæ flacciditatis ſpiritus.

CAſu quo etiam pia anima in occupationibus externis, vel per diverſitatem occaſionum, vel per multiplicitatem negociorum, vel defectu fidelitatis in attendendo ad directionem ſpiritûs, vel per irreptionem propriæ quæſitionis, vel defectu circumſpectionis in ſuâ, alioqui etiam, Deiformi converſatione, poſt aliquod tempus deprehendat quod imaginationes, tumultus, multiplicitates, ſpiritum obnubilent, impediant, quietem & ſimplicitatem diminuant, nec directionem ſpiritûs videantur curare; ità ut à ſpiritu vix queant ſuperari, aut domari; tunc anima conari debet, ut inveniat plus temporis, quo ſe in ſolitudine, ſilentio, & oratione exerceat, & indè novam fortitudinem & fomentum acquirat, quibus mediantibus, & una, per conſtans exercitium fidei, conari debet iſtum tumultum, imaginationes & multiplicitatem partis inferioris moderari, annihilare, vel compeſcere; ac ſeſe intereà exercere in patientiâ, *donec tranſeat iniquitas*; idquè magis per quietem, quam per violentiam, potiùs modeſtè omnia ſubterfugiendo, ſubſidendo, erependo, quam pondere rationum contrà agendo; conando interim ſpiritum ab omnibus iſtis extricare, atque in Deo ſublevatum, & occupatum tenere.

Quomodò primus fervor recuperandus.

Pſalm. 56. 2.

Lucta naturæ & gratiæ.

Tunc aliquandò videtur lux contrà tenebras luctari, & laborare, ut perfringat condenſam nebulam, vel ſe à nubibus volantibus expediat; verùm per robur Spiritûs, & per conſtans exercitium fidei in præſentiâ Dei, anima fidelis paulatim recuperat priſtinam quietem, ſimplicitatem, & dominium ſuprà partem inferiorem.

Solitudo & oratio neceſſariæ ad primum fervorem recuperandum.

Ad quod multum ei prodeſt, pro aliquo tempore, ſolito plus frui ſolitudine, quiete, & oratione mentali; nam experientia docet, quod quoties per fragilitatem humanam, in vitâ activâ nonnihil defecit & elanguit, vi orationis, & exercitiorum ſolitudinis primum fervorem debeat, & poſſit recuperare; vel alioquin eſt in periculo totalis extroverſiones in naturâ, & quæ ceperat in ſpiritu, facilè conſummaret in carne, vel ſenſualitate; nam quandò ſpiritus incipit alienari, deprimi, & jugo corruptæ naturæ ſuccumbere tunc quaſi ſuffocatur, eo quod natura iterum reſumat ſuam vitam, malæ inclicationes, ac pravæ concupiſcentiæ revireſcant; atque ità, niſi tempeſtivè, modo iam dicto, provideatur, anima brevi tempore à ſpiritu totaliter decidit in naturam.

Periculum tepeſcendi.

CAPUT XXIX.

Perimulta certamina, & fidelem conatum, anima acquirit ſtabilem ſubjectionem ſenſualitatis ad ſpiritum, & appropinquat ſtatui innocentiæ, & Beatorum in Cælo.

ANtequàm anima valeat adipiſci ſtabilem, & quaſi habitualem ſubjectionem potentiarum ſenſitivarum ad rationales, & harum ad ſpiritum Dei; ità ut cum Sponsâ in canticis ei dicere liceat, *introduxit me Dilectus meus in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem*, nimirùm ut Charitas inſtar reginæ, in omnibus animæ viribus, tùm ſenſualibus, tùm ſpiritualibus, ponat ulteriorem ordinem, ut omnes ordinatè & conſtanter ſubſint regimini Spiritûs Sancti, *qui* juxtà dictum Apoſtoli, *datus eſt* illi; mirabilia & multiplicia ei ſuſtinenda ſunt certamina, & agones; & vix poteſt aliter fieri, quin hinc indè nonnihil deficiat, ſivè per oblivionem, ſivè per inadvertentiam, ſivè per fragilitatem humanam, eò quod necdùm ſit ſatis robuſtà ſpiritu, & multiplicitatem iſtam naturæ, & cujuſvis rei ſenſibilis & tranſitoriæ, annihilet, parvi faciat, vel inadvertenter tranſeat; attamen, ſi ſtrenuè pergat, quaſi non defeciſſet, continuò de novo incipiendo, & animos novâ indies reſolutione confirmando, ſperare licet, quod paulatim perfringet, & cum tempore aſſequetur conſtantem ſubordinationum partis inferioris ad ſuperiorem, & hujus ad Deum; & conſequenter paulatim approximabit ſtatui innocentiæ, vel etiam Beatorum in Cælo, in quantum fragilitas humana permittit in hâc vitâ, conformiter ad menſuram divinæ gratiæ, ac fidelitatis in coöperando.

Cant. 2. 1.

Charitas ordinat animæ vires.

Difficultas acquirendi ſtabilem ſubjectionem partis ſenſitivæ.

Continuus conatus eſt neceſſarius.

Dixi, quod anima poſſit aſſequi ſtabilem ſubordinationem; cujus ratio eſt, quia ſic conſtanter exercendo omnis generis morales virtutes, eas paulatim acquirit in gradu perfecto, & virtutes in gradu perfecto acquiſitæ reformant naturam, eamque paulatim perducunt ad diſpoſitionem, in quâ erat, antequàm Adam peccaſſet, paulatim magis & magis tollendo pravas inclinationes, & concupiſcentias à peccato in naturâ cauſatas; verbi gratiâ, perfecta humilitas tollit malam inclinationem ad ſuperbiam, arrogantiam, vanam gloriam, jactantiam; manſuetudo tollit propenſionem ad iracundiam, odium, vindictam; caſtitas domat carnalem concupiſcentiam; amor bonorum cæleſtium deſtruit affectum terrenorum, & ſic de alijs; ex quibus patet, corruptionem & inordinationem naturæ tolli per virtutes morales, ſed multò efficaciùs per theologicas, fidem, ſpem & charitatem, quæ in divinâ vitâ in Deo continuò exercentur.

Modus acquirendi ſtabilem animæ ſubjectionem ad Deum.

Per acquiſitionem perfectarum virtutum.

Porrò

Porrò pravis inclinationibus corruptæ naturæ dicto modo ſublatis, ceſſat omnis ejus rebellio, & conſequenter natura facilè ſe conformat ſpiritui; quo ulteriùs per fidem in Deum erecto, cum firmâ reſolutione, & animi præparatione in omnibus ſequendi ipſius beneplacitum & directionem, ecce totus homo eſt benè ordinatus; ſenſualitas acquieſcit rationalitati, & rationalitas Deo, quò dùm accedit jugis influxus divinarum illuſtrationum, & cæleſtium affectionum, tùm in homine ſequitur imago ſtatûs innocentiæ, & æmulatio ſtatûs Beatorum in Cælo. Quomodò natura ſubjiciatur ſpiritui, & ſpiritus Dei.

CAPUT XXX.

Anima in Deo vivens imitatur Chriſtum, qui duxit vitam Deiformem, divinam in Deo Patre, tùm in agendo, tùm in patiendo, ad noſtrum exemplum.

QUandò anima ſic fideliter pergit in innocentiâ vitæ, conando in Deo vivere, tùm exprimit in ſe vitam Chriſti; ſiquidem quæ & qualis fuit vita Salvatoris noſtri? indubiè fuit Deiformis, & divina in Deo, uti clarè patet ex Sacris Evangeliis. Vita Chriſti exemplar vitæ Deiformis & divinæ in Deo.

Deiformem ſuam vitam ipſe propalat, dicens, *à me ipſo facio nihil, ſed ſicut me docuit Pater, hæc loquor; & qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum; quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper*; & de facto ipſemet fatetur, ſe non ad alium finem veniſſe in hunc mundum, niſi ut faceret voluntatem Patris ſui cæleſtis, ex quò liquet vita ejus Deiformis; quæ etiam debet manifeſtari in fideli animâ Deum amante; quia Chriſtus clamat, *exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ità & vos faciatis*, utique in omnibus, quæ placita ſunt Patri æterno; in quem finem dicebat Apoſtolus, *ſemper nos in mortem tradimur, ut & vita* Deiformis *Ieſu manifeſtetur in carne noſtrâ mortali.* Vita Chriſti Deiformis. *Ioan. 8. 29.* Imitanda. *Ioan. 13. 15.* *2. Cor. 4. 11.*

Quod Jeſus etiam duxerit vitam divinam, eſt extrà omne dubium, quia erat Deus ipſe, cum fides doceat, divinitatem in ipſo fuiſſe humanitati perſonaliter unitam, & ipſe fateatur, *Pater in me manens ipſe facit opera*; audis? ſpiritus divinus æterni Patris manet in Chriſto, & in ipſo operatur omnia ejus opera, ergò Chriſtus ducit vitam divinam, ut eum in hoc etiam imitemur, qui rurſus clamat, *exemplum dedi vobis* vitæ divinæ, *ut quemadmodùm ego feci, ità & vos faciatis*; quocircà etiam hæc *vita Ieſu* debet *manifeſtari* in nobis; verumtamen ut eam mereamur aſſequi, priùs nos oportet cum Apoſtolo *in mortem* amoris *tradi*. Vita Chriſti divina. *Ioan. 14. 10.* Quomodò imitanda.

Digitized by Google

Quandonàm anima vivat vitam divinam.

Hæc vita invenitur in animâ, dùm Pater cæleſtis in eam *miſit ſpiritum Filij ſui clamantem Abba Pater*; quandò Spiritus Chriſti, ut ſuprà dictum eſt, animam totaliter poſſidet, animat, & omnia in eâ operatur, ità ut ei dicere liceat, *vivit in me Chriſtus* ... Spiritus Chriſti *in me manens, ipſe facit opera*, quod dùm fit, ecce anima, indubiè, ducit vitam divinam, & vita Jeſu manifeſtatur in illâ.

Gal. 4. 6.

Vita Chriſti in Deo.

Deindè Jeſus vivebat vitam Deiformem & divinam in Deo, id eſt, cum jugi, attento, reverentiali & amoroſo animo ad Patrem cæleſtem, in omnibus ſuis operibus, ſuaviter in ipſo ad ipſum quaſi reſpirans, & jugiter ſe convertens, uti clarè colligere eſt ex ejus verbis in varijs occaſionibus, primò dùm ait, *confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis.* Item, *ità Pater, quia ſic fuit placitum antè te*, ... qualia verba videbatur continuò habere in ore, in omnibus agendis & patiendis, nam etiam in horto Getſemani dicebat, *Pater non mea voluntas fiat, ſed tua*; alibi, *Pater ſciebam, quia ſemper audis me*, & ſic alibi ſæpiùs; ex quibus patet aſſidua ejus converſio & aſpiratio ad Patrem ſuum cæleſtem, & conſequenter vita ejus divina *in Deo*; ſed quid mirùm? *neſcitis*, inquit, *quia in illis, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* ... *neſcitis quia ego in Patre, & Pater in me eſt*? quid enim hæc ſonant aliud, quàm quod viveret in Deo Patre? ad noſtrum exemplum, ut etiam diſcamus vivere in Deo, per amoroſam ad eum converſionem, per ſuavem aſpirationem, per dulcia alloquia, per teneram ſpiritûs applicationem in Deo, ad Deum, modo ſuprà poſito; ipſe enim ait, *exemplum dedi vobis*, vitæ divinæ in Patre meo, *ut quemadmodùm ego feci, ità & vos faciatis.*

Mat. 11. 25.
Ibid. n. 26.
Joan. 11. 42.
Luc. 2. 49.
Joan. 14.

Quomodò nobis imitanda.

Porrò hîc iterùm nos cum Apoſtolo *ſemper in mortem tradere* oportet, in mortem utique amoris, *ut & vita Ieſu* in Deo, *manifeſtetur in corporibus noſtris*, nam *qui dicit ſe eſſe Chriſti, debet quemadmodùm ille ambulavit, ipſe ambulare*, id eſt, debet ſe in omni ſuâ vitâ, in omnibus agendis & omittendis, in actione, & paſſione, conformare exemplo, quod Chriſtus ei in omnibus monſtravit.

CAPUT XXXI.

Quomodò anima magnam in ſe ſentiat difficultatem, ut hanc vitam in Deo exerceat; & quomodò naturæ vivacitatem ad ſimplicitatem in Deo trahere debeat.

Labor & difficultas antequàm anima obtineat vitam in Deo.

QUamvis anima ſit bonæ voluntatis, ut hanc vitam in Deo cordi habeat, id eſt, ut omnia ſua opera faciat cum actuali, amoroſâ intro-

introverſione, vel converſione, vel reſpiratione in Deo; id tamen non tam facilè aſſequi poteſt, eò quod imaginatio, multorum præteritorum memoria, & etiam intellectus naturalis, ſæpè magno ſint impedimento, antequàm domari, ab inutilibus operationibus ſuſpendi, & ad ſimplicitatem ſpiritûs reduci queant; imò frequenter experitur, quod, non obſtante omni ſuâ bonâ voluntate, & firmâ reſolutione, vix ad ſpatium unius *Pater noſter* fixam ad Deum attentionem in ſuis operibus ſervare poſſit, quin imaginatio ejus & memoria avolent, intellectus circà alia occupetur, & ſpiritus præſentiam Dei amiſerit; ac proindè hoc opus, hic labor, ut inſtabilitatem potentiarum internarum ſuperet; pro remedio.

Media ad acquirendam vitam in Deo.

Quandò anima, ſivè in oratione, ſivè extrà, experitur ſibi occurrere aliquas vivas imaginationes ſeu ſpecies rerum fortè ſuo tempore agendarum, vel ſuſtinendarum, quaſi præmeditando modum eas agendi vel ſuſtinendi, vel verba dicenda, vel intentiones formandas, præſertim in rebus naturæ vel ſenſibus arridere ſolitis, vel coöperatione partis ſenſitivæ indigentibus; tunc iſta omnia toto conatu dimittere, excludere, annihilare debet, quaſi res extrà tempus importunas & pro tunc ad nihil ſervientes, niſi ut ſimplicitatem tollant; præcipuè ſi deprehendat, quod pars ſenſitiva per hoc ſuam ad Deum attentionem diminuat, & ad multiplicitatem trahat.

Per ſedationem potentiarum internarum.

Idem eſt etiam, dùm phantaſia, vel etiam intellectus, velut in vagum currunt; ità ut directionem ſpiritûs nihil curare videantur, ſed velut aves ſylveſtres & indomitæ ſinè fræno evagentur, abſque eo, quod ferè ſciatur, ubi; tunc enim tempus eſt, ut anima ſeipſam juvet per vivam, & omnia, præter ſimplicem memoriam Dei, annihilantem fidem, conando tali modo, imaginationem, memoriam & intellectum ab omnibus objectis ſenſibilibus ablactare, à ſuis operationibus ſuſpendere, & ſpiritum, vel in Deo elevatum, vel in intimo cordis introverſum tenere, quaſi nemo eſſet domi, qui ſenſuales imaginationes intromittat, & ad ſtrepitum potentiarum ſenſitivarum auſcultet.

Quomodò phantaſia & intellectus tranquillandi.

Per vivam fidem, & ſuſpenſionem operationum.

Aliquandò habet anima in his multum laboris, antequàm ſpiritum tranquillare, & in plenâ libertate ponere queat; præſertim, dùm pars inferior nonnihil invaluit, &, defectu bonæ circumſpectionis, jam in noxiâ multiplicitate vivaciter occupatur; tunc enim debet ſpiritus, vi & efficaciâ fidei, paulatim perſtringere, illam vivacitatem moderari, ſubterfugere, & facere evaneſcere.

Aliquandò difficulter ſpiritus tranquillatur.

Ex quibus etiam intelligere eſt, quod quantò aliquis imaginationem, memoriam, intellectum, aliaſque potentias, ſivè ex naturâ, ſivè ex virtute habet magis ſimplificatas, tranquillatas, minùs impetuoſas, minùs

Quinam aptiores ad ſtabilem vitam in Deo.

Digitized by Google

vivaces, minùs attractivas, tantò ſit magis idoneus, ut brevi & facilè aſſequatur vitam in Deo; tunc enim ſpiritus faciliùs manet introtractus, & ſinè impedimento, per ſimplicitatem fidei, Deo vacare poteſt; cujus planè contrarium contingit in illis, qui habent phantaſiam vagam, memoriam diſſolutam, intellectum nimis vivacem, vel qui ex naturâ ſunt attractivi, vel intractivi, vel impetuoſi; nam his magnus labor eſt ſubeundus, antequàm ad ſimplicitatem ſpiritûs, & conſequenter ad ſtabilem vitam in Deo poſſint pervenire.

CAPUT XXXII.

Pauci aſſequuntur ſtabilem attentionem ad Deum, & ſimplicitatem Spiritûs in oratione, quia extrà orationem, pro illis non ſunt ſolliciti, contrarium eſt in ſollicitis.

Cur pauci perveniant ad ſtabilem vitam in Deo.

EX jam dictis colligere licet, quarè tam pauci, etiam in oratione, poſſint obtinere magnam ſimplicitatem, & conſtantem attentionem ad Deum, & conſequenter veram vitam in Deo; eò quod nimirùm plerique, vel ex naturâ, vel defectu mortificationis, habeant imaginationem, memoriam, intellectum & conſequenter alias potentias internas, vel externas nimis vivaces, impetuoſas, attractivas, & indomitas; perpaucis etiam lubet ſubire laborem, quo extrà orationem advigilent & reflectant ad dictas potentias, nè illas extrà directionem ſpiritûs ſinant vagari; atque ideò, dùm putant in oratione potentias rationales in Deo colligere, & occupare; obvolvuntur plurimæ imaginationes, quæ iſtam in Deo recollectionem turbant, & occupationem impediunt; ità ut ſatis multum habeant agendum, ut iſtas imaginationes & diſtrahentia objecta divertant, abſque eo, quod ſemel, ut decet, ad Deum liberè poſſint evolare; eò quod ſpiritus in imò, quaſi ligatus, &, vel, ipſis invitis, ſuppreſſus hæreat.

Defectu vigilantiæ extrà orationem.

Studium mortificationis extrà orationem conducit ad intimitatem & vitam in Deo.

Sed econtrà, dùm anima, vel ex naturâ, vel per exercitium mortificationis, ſuas internas & externas potentias ſubegit, domavit, & tranquillavit; ac prætereà etiam extrà tempus orationis advigilat, nè ullas res noxias, vel inutiles attrahat, ſed etiam neceſſarias vel aliter Deiformes conatur attrahere cum debitâ ſubjectione partis inferioris ad ſuperiorem & ſuperioris ad directionem Dei; tam citò, ac ſe dat quieti, ut in oratione, vel etiam in alijs operibus in Deo reſpiret, ac ſe ad ipſum attentam ſervet, illicò percipit magnam ſpiritûs libertatem in contemplatione immenſæ Eſſentiæ Dei; ibi fruitur plenâ quiete, ibi adorat, ibi amat, & facit, quid-

quid

Digitized by Google

quid vult; quippè etiam exterior occupatio extrà orationem, ſinè adhæſione & nimiâ vivacitate, ſub regimine ſpiritûs facta, vix relinquit in animâ ſpecies impreſſas, ſaltem vivaces; quæ quietem internam, & ſimplicem occupationem in Deo poſſint impedire, etiam, quandò exteriùs occupatur in rebus ſuo ſtatui & conditioni conformibus.

Medium adhærendi Deo ſinè impedimento.

Dùm autem ſeſe applicat orationi, & tunc, occaſione externæ quietis, divinus ſpiritus incipit operari, reperit animam ritè diſpoſitam & ad ſuas illuſtrationes ac alias inoperationes recipiendas valdè benè paratam; quocircà non poteſt minùs, quàm ſeſe tali animæ communicare, in ipsâ operari, ejuſque fidelitati correſpondere; ità ut anima tunc facilè in Deo abſorbeatur per intimas inoperationes; undè etiam roboratur, ut extrà orationem, in omnibus ſuis operibus, Deo maneat intenta, & attenta; & conſequenter ſivè in oratione, ſivè extrà, poteſt in Deo ſuaviter vivere: ex quo patet differentia inter orationem & vitam animarum Deo fideliter vel non fideliter ſervientium.

Deus illuminat & agit animas benè diſpoſitas.

CAPUT XXXIII.

Quomodò anima ſe extrà orationem gerere debeat, ut etiam in externis operibus & tentationibus in Deo vivat; exemplo Chriſti, ſe in Deo derelictui habendo, & tandem in illo moriendo.

EX dictis animadvertere poſſumus, quomodò anima ſe extrà orationem gerere debeat, ut etiam in occupationibus externis in Deo vivat; ſcilicet, vel illæ ſunt Deiformes, ſecundùm exigentiam ſtatûs & conditionis, vel non? ſi non; non licet illis vacare, ſed debet fugere, ſi poteſt; ſi non poteſt commodè ſubterfugere, debet conari, audiendo ſurdeſcere, videndo cæcutire; &c. illa nec attrahendo, nec intrahendo, nitendo pro viribus, iſta inadvertenter tranſire, nè indè ſpecies impreſſas retineat, vel attrahat, ſed per firmam fidem ſe ad Deum & in Deo converſam conſervet, & de cætero omnia longanimiter ſuſtineat.

Quomodò extrà orationem debeat anima ſe gerere, ut vivat in Deo.

Hoc etiam habet locum in omnis generis tentationibus, animam quaſi vi obruentibus v.g. in inhoneſtis imaginationibus, inclinationibus, motibus; in tentationibus blaſphemiæ, puſillanimitatis, infidelitatis, deſperationis, & alijs, quibus ſe anima inveniens oppreſſam & anguſtiatam, nihil ſcit meliùs facere, quam ſuam imaginationem & potentias ſenſitivas indè retrahere, tranquillare, ad illas non reflectere, nec curare, ſatagendo interià

Quomodò in tentationibus in Deo vivere liceat.

512

Digitized by Google

Per fidem & fiduciam in Deo.

tereà per ſimplicem fidem, per firmam ſpem etiam contrà ſpem, & per activam ſimplificationem, ſeſe in Deo ſervare erectam & attentam, donec Dilecto placuerit hanc tempeſtatem ſedare: atquè hoc modo tunc etiam conando in Deo reſpirare, ecce etiam in medijs procellis novit in Deo vivere: vel etiam, quandò illis oppreſſa videtur, abſque eo, quod ſciat, quò

Modus vivendi in Deo in extremâ preſſurâ.

ſe vertere, vel quomodò ſe in Deo conſervare poterit; tunc licet ei ſe ad illam tempeſtatem, vel vehementes tentationes convertere, tamquàm ad dona Dei, vel tamquàm ad res à divinâ providentiâ circa illam, vel in illâ ex amore paterno, etſi ei pro nunc incognito, permiſſas vel clementer immiſſas, quò ſic illa de manu Dei libenter ſuſcipiat, dicendo cum regio pſalte, *Domine, induxiſti omnes fluctus tuos ſuper me & contexerunt me tenebræ*; ſed, *etiamſi occideris me, in ipſo ſperabo*; atquè hoc modo ſeſe convertens ad paſſionem, ſeu ad id, quod dolorem, anguſtiam, vel pœnam affert, tamquam ad aliquid à paternâ Dei manu immiſſum, cum talibus aſpirationibus ſpei, fiduciæ & reſignationis ſui in voluntate Dei, ecce etiam in extremâ iſtâ oppreſſione, quâ à Deo divertenda timetur, reperit modum in Deo vivendi.

Pſalm. 54. 6.

Iob. 13. 15.

Chriſtus in cruce vivebat in Patre.

Sic vivebat Salvator in Deo Patre ſuo cæleſti, dum pendens in Cruce, in extremâ derelictione, ad ipſum manebat converſus, & clamabat, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* & cum nullum ſolatium vel ſublevamen perciperet, *Pater*, inquit, *in manus tuas commendo ſpiritum meum*, nobis

Matt. 27. 46.

Ad noſtrum exemplum.

relinquens exemplum, quo doceamur, quomodò in ſtatu internæ derelictionis, quamtumcumque anguſtiante, & ab omni ſolatio alieno, nos gerere oporteat; ſic nimirùm, ut illo durante, maneamus ſemper ad Deum converſi & in ipſo quaſi jugiter halitum renovemus, conando illam derelictionem à noſtrâ mente & imaginatione divertere, ſeu non attrahere, & per fortem fidem, ac firmam ſpem, ſolum Deum pro noſtro objecto tenere; poſito etiam, quod Deo non placeret nos tantillum ſublevare vel con-

Etiam in extremâ derelictione in Deo vivendum & moriendum.

ſolari; equidem ad Deum nos converſos manere oportet, exſpectantes beatam ſpem, & cum longanimitate præſtolantes ſalutare Dei, etiam uſque ad extremum halitum; donec tandem exemplo Chriſti, in manus Dei Patris etiam commendemus ſpiritum noſtrum, nos totaliter eius providentiæ committendo, ut agat & diſponat de nobis, quidquid illi melius viſum fuerit in tempore & æternitate; in quâ reſignatione, & noſtrî-ipſorum plenâ in Deo derelictione perſeverare debemus, donec tandem etiam cum Chriſto in manibus Dei exſpiremus.

Ecce hîc optimus & Chriſti-formis modus, quo omnis generis tentationes, internas deſolationes & derelictiones in Deo ſuſtineamus, ac in illis omnibus, in Deo poſſumus, vivere & mori.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

Quomodò anima ſe gerere debeat in infirmitatibus, & perſecutionibus, ut tunc etiam Deiformiter & diviné in Deo vivat, & à Spiritu Chriſti dirigatur in paſſione, ſicuti in actione, cum ſubiectione ad Spiritum Chriſti.

Modus in infirmitatibus & perſecutionibus, vivendi in Deo.

HIc adhuc ulteriùs diſcere iuvat, quomodò anima Deum amans ſe habere debeat tempore infirmitatis corporalis, & externis tribulationibus ac perſecutionibus, ut etiam, illis durantibus, in Deo vivat; utiquè hoc modo; ſi corporis infirmitatibus & cruciatibus affligatur, debet imprimis iſtas infirmitates & cruciatus recipere & amplecti tamquam à manu Dei ſibi paternè immiſſos ad maius bonum; & ſicut aſſueſcere debet omnia opera ſua facere cum Deo, imò illa in ſe & ſecum à Deo fieri permittere, conando potentias inferiores ſubordinare parti Superiori; & partem Superiorem directioni divini ſpiritûs; quatenùs hic ſic totum hominem in omnibus agendis & omittendis poſſit operari, poſſidere & dirigere, operando ſic in ipſa omnia eius opera, ſicque eius vita tota ſit divina in operando: ita tempore morbi corporalis, & pœnalitatum ſatagere debet anima devota, ut omnes ſuas potentias ſenſitivas recolligat ſub imperio & directione ſpiritûs, & unà cum hoc, ſub regimine Dei, quò ſic etiam divinus ſpiritus tunc omnia ritè ordinet, &, ut ſic dicam, omnia etiam ipſe patiatur in animâ, ſicut ipſe in eâ operatur.

Vti operando, ità Etiam patiendo in Deo vivere oportet.

Tam patiendo, quam operando Chriſtus debet vivere in animâ.

Id quod à ratione alienum videri non debet; nam ex ſententiâ philoſophorum actio & paſſio ſunt entitativè una & eadem res; quocircà ſi anima Deum amans ad hoc niti debeat, ut omnes ſuæ potentiæ ſenſitivæ cum rationalibus in ſuis operationibus à ſpiritu Chriſti dirigantur, imò ut divinus ille ſpiritus in eâ manens ipſe omnia eius faciat opera, quò ſic ipſa cum Apoſtolo dicere poſſit, *vivit in me Chriſtus*; propter eamdem planè rationem ad hoc etiam conari debet, ut omnes ſuæ potentiæ ſenſitiuæ unà cum rationabilibus in paſſionibus, ſive in patiendo à ſolo ſpiritu Chriſti dirigatur; imò ut hic divinus ſpiritus, ut ità dicam, omnes eius paſſiones ipſe ſuſtineat; eo quod actio & paſſio ſint entitativè idem, ac proindè, ſi actio ſit à ſpiritu Chriſti, ab eodem etiam ſit paſſio, neceſſe eſt; & conſequenter omnis eius paſſio divina erit, ſicut eius actio, ſeu operatio divina eſt: ſimiliter, quemadmodum eius operatio Deiformis eſt, quandò Dei beneplacito eſt conformis; ita etiam omnes eius paſſiones, pœnalitates, preſſu-

Quo ſenſu paſſio animæ ſit divina.

Quandonam paſſio animæ ſit Deiformis.

preſſuræ ſunt Deiformes, dum ſuſcipiuntur de manu Domini, & juxtà eius voluntatem tolerantur; ſolummodò ſupereſt, ut anima devota etiam has paſſiones & pænalitates divinas & Deiformes diſcat pati in Deo, cum amoroſâ & longanimi tolerantiâ in ipſo per reſpirationem affectuoſam, & ſui patientis ſpiritus applicationem ad Deum, quem credit in ſe & ſecum omnia ſuſtinere: hîc etiam anima ſeſe juvare poteſt cum ijs, quæ capite præcedente de internâ afflictione diximus; atque ità tam in agendo, quam in patiendo diſcet vivere in Deo.

Quid ſit pati in Deo.

CAPUT XXXV.

Quomodò anima in infirmitatibus &c. etiam poſſit diviné pati in Deo, parata omnes ſuas potentias paſſivas in illo conſumere.

VErùm licet paſſio dicto modo ſit Deiformis & divina, ſicuti actio eſt Deiformis & divina, eo quod à divino ſpiritu in animâ manente proveniat, eiuſque beneplacito ſit conformis, uti iam dictum eſt, ac conſequenter licet anima tum in agendo, tum in patiendo ducat vitam divinam & Deiformem; uti tamen anteà oſtendimus adhuc aliquid ampliùs requiri, ut ſecundùm operationem anima vivat in Deo; ita etiam adhuc aliquid deſideratur, ut tempore corporalis infirmitatis ſecundùm paſſionem vivat in Deo: itaque ut paulò clariùs explicem id, quod in fine capituli præcedentis verbo tetigi; dum anima amoroſa pro viribus conatur, tempore corporalis paſſionis, morbi, pænalitatis, omnes ſuas potentias paſſivas recolligere; quatenùs in patiendo, ſicuti in agendo, eas ſubijciat imperio & directioni potentiarum rationalium, & has directioni & inoperationi divini ſpiritus; ità etiam debet diſcere hæc omnia præſtare & pati in Deo, hoc modo.

Quomodò in Deo patiendum.

Anima pænalitatem aliquam percipiens, debet ſe ſuaviter ad Deum & in Deo tenere converſam, illam immediatè ab illo & in illo ſuſcipiendo, & ſatagendo omnem pænam longanimiter ſuſtinere, cum ſuavi ſpiritûs inclinatione, ſeu applicatione ad Deum & ad maius eius beneplacitum, cum tranquillâ & amoroſa attentione dicendo cum Chriſto ad Deum Patrem, *Pater ſi non poteſt tranſire à me calix iſte, fiat voluntas tua*; & conſequenter ſe illi offerat in hoſtiam viventem & morientem, nihil aliud optando, quàm propter eius amorem & in eius amore conſumere omnes ſuas potentias paſſivas, eo modo, quo unicum eius votum eſt, omnes ſuas vires operativas in amore Dei paulatim uſque ad extremum vitæ halitum in holocauſtum conſecrare & conſumere.

Praxis patiendi in Deo.

Mat. 26. 42.

Et omnes potentias paſſivas in Deo conſumendi.

Sic

Sic videbatur Apoſtolus facere, quandò dicebat, *Chriſto confixus ſum Cruci*, volens ſignificare, ſe unà cum ſpiritu Chriſti multa pati, eſſeque reſolutum, quaſcumque tribulationes, perſecutiones, & tormenta ſuſtinere uſque ad extremum vitæ; quam reſolutionem nè poſſet retractare, aiebat ſe cum Chriſto confixum cruci, ut ibi in conſortio Jeſu Crucifixi omnes ſuas vires, uſque ad ultimam ſanguinis guttam conſumeret, ac finaliter cum Chriſto in cruce in manus Dei ſuum ſpiritum commendaret, & exſpiraret; quò ſic perſeveranter in Deo viveret, id eſt, in Deo omnia ſua operaretur, in Deo quæcumque adverſa ſuſtineret, & tandem in Deo cum Chriſto emitteret ſpiritum.

Exemplo Apoſtoli. *Gal. 2. 19.* Cum Chriſto patiendum & moriendum.

Ubi operæ prætium eſt reflectere ad ly *cum Chriſto*; quaſi Apoſtolus voluiſſet dicere, ſe cum Spiritu Chriſti pati, & Spiritum Chriſti ſecum & in ſe, quod proindè non haberet aliam intentionem, quàm cum Chriſto vivere, in occaſionibus patiendi cum Chriſto configi cruci, & cum Chriſto, æterno Patri ſpiritum ſuum commendare, atque hoc modò cum Chriſto in Deo vivere, pati & mori, ſpirare & exſpirare; in quo nobis relucet exemplum, quod imitemur.

Quid ſit pati in Chriſto.

CAPUT XXXVI.

Quomodò anima in perſecutionibus, obloquijs, calumnijs, in Deo vivere & pati debeat, ſivè juſtè patiatur, ſivè injuſtè cum ſubjectione potentiarum paſſivarum.

VT ulteriùs doceamus ſinceram vitam in Deo, Deiformis anima, etiam tempore externæ perſecutionis, obloquiorum & calumniarum debet conari in Deo vivere, agere & pati, hoc modo; non poteſt iſtam perſecutionem, obloquia, vel calumnias attendere, pro ut ſunt ab hominibus, ſed pro ut ſunt in Deo, & in divinâ ejus Providentiâ, quam debet in illis jugiter adorare, laudare & benedicere, nihil aliud verſando in mente, vel habendo in ore, quàm, *Deus attingit à fine uſque in finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*; novit Deus, quarè hoc vel illud permittat; poſt hanc vitam contemplabor, ex quàm infinito mei amore, hoc ità permiſerit; quocircà eum adoro, & ex nunc eum benedico, & gratias ago pro infinitâ dilectione hac, pro ut ſpero me facturum per totam æternitatem: ſic ſuſpiciebat, & ſuſcipiebat Regius Propheta in Deo impropria, calumnias, contumelias & maledictionem *Semei*, dùm dicebat, *dimitte illum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David; & quis eſt, qui audeat dicere, quarè hoc fecerit.*

Quomodò in perſecutionibus, obloquijs, &c. in Deo vivendum & patiendum. *Sap. 8. 1.* Exemplo Davidis. *2. Reg. 16. 10.*

quo quis innocentior, eò libentiùs in Deo pati debet.

Quantò anima eſt innocentior, & minorem dedit occaſionem tali perſecutioni vel calumniæ; tantò magis debet in Deo gaudere, nec multùm cogitare de ſuâ defenſione, vel excuſatione, ſed ſimpliciter ſecundùm Deum, & conſcientiam in ſuâ converſatione pergere, planè ſecura, & confidens fore, ut Deus omnia vertat in meliùs, in hâc vitâ, vel poſteà; atque hoc modo maneat quieta, & tranquilla, omnia patienter ſuſtinendo cum continuâ, amoroſâ introverſione, ſuavi reſpiratione, & immoratione in Deo, atque in adoratione divinæ ejus diſpoſitionis in omnibus, conando intereà tranquillare phantaſiam, & alias potentias, nè res ullas extrà Deum, ejuſque providentiam aſpiciat; quatenùs ſic maneant in internâ requie, tranquillitate & ſimplicitate, abſque ullâ amaricatione, ſemper hilaris ſpiritu in Deo; præſertim eò quod habeat occaſionem, in hoc tantillùm Chriſtum imitandi, ejus amore ſufferendo aliquam injuriam.

Sinè inquiete, &c.

Amore imitandi Chriſtum.

Si dederit cauſam obloquijs, &c. quomodò in Deo pati debeat.

Si fortaſſis aliquam iſtius obloquij, &c. dederit occaſionem, debet accuſationem illam, perſecutionem, aut improperia, vel quamcumque aliam externam paſſionem accipere inſtar boni filij, de paternâ Dei manu, velut flagellum, cum magnâ humilitate, in ſpiritu pœnitentiæ, gratias agendo, quod hac occaſione divinæ juſtitiæ poſſit ſatisfacere pro ſuâ infidelitate & culpâ; quocircà ſeſe libenter ad illa toleranda reſignare & applicare debet, atque in omnibus filialem ad Deum converſionem habere, de illis eum laudare & benedicere; illam tribulationem ei in ſatisfactionem offerendo in unione paſſionis Chriſti, & pro ampliori gratiâ deprecando; non obliviſcendo intereà omnes ſuas potentias paſſivas & actiuas recolligere & divinæ directioni ſubjicere: atque hoc modo, ecce anima Deum amans novit omnem tribulationem, aut paſſionem ſuam ſuſcipere in Deo, conſequenter tàm in patiendo, quàm in agendo conatur in Deo manere, ſicque tùm in paſſione, tùm in operatione, non ſolùm Deiformiter & divinè, ſed etiam, in Deo vivere modis jam explicatis.

Amore juſtitiæ.

CAPUT XXXVII.

Quomodò in operibus uniuſcujuſque ſtatui conformibus, Deiformiter in Deo vivi poſſit.

VT pergamus in docendâ Deiformi vitâ in Deo, præter jam anteà dicta;

Quiſque in operibus ſuo ſtatui conformibus in

Quantum ad occupationes cujuſque ſtatui & conditioni, ſivè ſæculari, ſivè ſpirituali convenientes, & conſequenter Deiformes, quandoquidem unuſquiſque,

Digitized by Google

Deo vivere poteſt.

unuſquiſque, ut alibi monſtratum eſt, ad illas Dei gratiam habeat paratam, quâ eas meritoriè exerceat, vel à Dei Spiritu, mediante concurſu ſupernaturali, ſecum in ſe exerceri ſinat; ſatis patet, quod anima devota in illis poſſit Deiformiter & divinè vivere; præſertim ſi per frequentes mortes amoris, & perfectam ſui, omniumque rerum abnegationem, jam partem inferiorem ſubjugaverit ſuperiori, atque jam cum omnibus ſuis potentijs, tùm ſenſitivis, tùm rationalibus, didicerit ſe ſubjicere directioni Spiritûs Sancti, & ab eo quaſi poſſideatur, in omni ſuâ converſatione, in omnibus ſuis agendis & omittendis illuminetur, manu-ducatur, & agatur; tunc enim conſtat, ejus vitam eſſe divinam, utpotè in ipſâ & cum ipſâ exercitam à divino Spiritu, quò agitur.

quo ſenſu anima vivat Deiformiter & divinè.

Praxis vivendi in Deo, pro omnibus in ſuo ſtatu.

Solummodò videndum ſupereſt, quomodò etiam in his vitam iſtam Deiformem & divinam poſſit & debeat exercere in Deo: itaque anima Deum ſincerè amans, in operibus conformibus ſtatui, ad quem ſe à Deo vocatam confidit, v. g. ſi ſit in ſtatu matrimoniali, in operibus, quæ ad directionem familiæ, liberorum educationem, &c. ſpectant, aut requiruntur; ſi prætereà ad aliquam dignitatem vel officium, propter ſuam virtutem & capacitatem ſit promota, in convenienti iſtius officij adminiſtratione ſecundùm Deum, leges, & conſcientiam; ſi ſit in ſtatu religioſo, in actibus Regularitatis vel obedientiæ, conformibus Regulæ & ordinationibus monaſticis, quales ſunt frequentare chorum, divinis officijs aſſiſtere, extrà vel intrà monaſterium aliquibus negotijs vacare, ſuperioris, Procuratoris, Sacriſtæ, œconomi, Prædicatoris, Confeſſarij, &c. munere fungi, tantummodò debet advigilare, ut omnia iſta faciat, vel potiùs Spiritum Dei, ſeu gratiam divinam iſta, in ſe & ſecum agere ſinat cum actuali, reverentiali, vel amoroſâ attentione, vel reſpiratione, ſeu aſpiratione ad Deum vel in Deo, vel cum vivâ fide divinæ præſentiæ, Deum ſic actualiter amando & adorando in ſpiritu, atque cum tali reverentiâ omnes peragendo, quaſi eum oculis corporis jugiter videret, prout eum indeſinenter contemplatur oculo fidei.

In ſtatu Matrimonij.

In ſtatu Religioſo.

In functione officiorum.

S. Catharina Senenſis vivit in Deo in ſervilibus.

Sic Sancta *Catharina Senenſis* in domo paternâ agebat ancillam culinariam, id faciendo cum tali introverſione & attentione ad Deum & Matrem amabilem, quaſi Deum in ſuo Patre, Matrem amabilem in Matre actualiter ſemper habuiſſet præ oculis, ijſque perſonaliter miniſtraſſet: Sic faciebat Sanctiſſima Virgo *Magdalena de Pazzi*, communia Monaſterij opera, qualia erant lavare, piniſere panem & ſimilia, unà cum alijs Sororibus, cum tali attentione, & actuali fluxu amoris in Deum, quaſi fuiſſet in continuâ oratione, & extaſi: cum tam actuali Dei in omnibus inventione, adoratione, dilectione educabat Sancta *Brigitta* proles ſuas in timore Dei: cum tali mentis in Deo occupatione ſciebat ſingularis ille Legatorum &

S. M. de Pazzi in Deo operatur.

S. Brigitta in Deo alit familiam.

S. Pet. Thomas in functione officiorum.

Nunciorum Apoſtolicorum Patronus Sanctus *Petrus Thomaſius*, ex ordinatione Sanctæ Sedis varijs, ijſque graviſſimis legationibus fungi, per totum ferè Chriſtianiſmum, apud Reges & Principes: Similiter Seraphica Mater *Tereſia* noverat cum tali cordis ad Deum attenſione promovere & curare multorum Monaſteriorum fundationes, atque hùc illùc itinerari, abſque impedimento Spiritûs; nec mirùm; nam hi Sancti probè didicerant, & noverant practicare Deiformem ſuam & divinam vitam in Deo; & ab operibus non Deiformibus, ſuoque ſtatui difformibus ſollicitè ſibi cavebant; nobis relinquentes exemplum, ut ſequamur exempla eorum.

S. Thereſia in fundatione Monaſteriorum.

CAPUT XXXVIII.

Animæ Deum amanti facile eſt & dulce in Deo vivere; quomodò id fiat; quibus motivis.

Eſt jucundum in Deo vivere.

DUm anima devota hanc vitam in Deo benè incipit comprehendere; non poteſt aliter fieri, quin ſit ipſi facillimum & jucundiſſimum ſic vivere; cum enim fides doceat, Deum replere omnia, omnes creaturas divinâ ſuâ præſentiâ penetrare, ac in omnibus & cum omnibus operari; ità ut nè vel folium ex arbore decidat ſinè ejus nutu, nec homo pedem aut ullum membrum movere, nec ullum animalculum moveri queat, niſi Deus concurrat, & ad omnes omnium actiones coöperetur, quid rationabilius, & animæ amanti jucundius, quàm jugiter de divino hoc coöperatore, unico Dilecto ſuo cogitare; ſiquidem ſuave & pergratum eſt amanti cogitare de re amatâ, omne ejus gaudium eſt, frui præſentiâ rei unicè dilectæ: quomodò ergò non eſſet dulce, & jucundum animæ Deum amanti ubique & in omnibus creaturis invenire & obvium habere Deum, dilectum ſuum?

Deus eſt, & operatur in omnibus.

Anima Deum amans eum ubique invenit.

Deindè, cum anima Dei amans ſciat, & confidat, Deum non ſolùm, concurſu naturali & ordinario, eſſe paratum coöperari cum omnibus Iuſtis, & ſecum in particulari, ad omnia opera cujuſque ſtatui convenientia, pro ut paratus eſt coöperari, & de facto coöperatur cum omnibus ſuis creaturis in ijs, quæ juxtà ſuæ naturæ exigentiam operantur; ſed inſuper eum eſſe paratum, omnia ſua opera ſibi in ſe, & ſecum operari concurſu ſeu coöperatione ſupernaturali, per auxilium gratiæ ſuæ præveniendo, excitando, deducendo, & quaſi manum ad omnia opera admovendo & coadjuvando, non ſolùm dando velle, ſed & perficere, bonam voluntatem in ſe & ſecum exequendo, quò ſic omnia ſua opera Deo poſſint placere, & ad æternam, glorioſam & beatam vitam in Deo conducere; atque

Deus in omnibus operatur naturaliter.

Paratus in animabus operari ſupernaturaliter.

Digitized by Google

atque hæc omnia ex purâ, & gratuitâ dilectione, quâ eam Deus ex merâ miſericordiâ ab æterno dilexit, juxtà quod per ſuum Prophetam ipſe teſtatur, & unicuique Electorum ait, *charitate perpetuâ dilexi te, miſerans tui*; quomodò animâ illuminata, in tali fide, & ſpe benè exercitata non accendetur amore reciproco, & jugiter in mente habebit fideliſſimum illum, amantiſſimum & divinum Coöperatorem, quem ſe credit ubique obvium habere; nè unquàm fidei oculum divertat ab eo, quem ſcit ab æterno, nè vel ad momentum oculum à ſe declinaſſe, vel declinaturum? quomodò non gratâ, reverentiali, amorosâ mente recordabitur unici Dilecti ſui, ſibi ubique obvij, eique porriget manum, qui continuò ſibi porrigit manum ad omnia ſua opera? quid ni huic animæ jucundiſſimum erit, amorosè & dulciter omni tempore & loco, reſpirare in divinâ ejus præſentiâ cælum & terram replente, à quâ jugiter recipit vitam naturalem & ſupernaturalem, quam ipſa intimè diligit, & à quâ diligitur?

Ex merâ clementiâ.

Jerem. 31. 3.

Deus æterno amore dilexit ſuos.

Anima illum reciprocè diligat.

CAPUT XXXIX.

Quomodò anima devota in ſtudendo, manibus laborando, concionando, &c. in Deo ſuaviter & jucundè vivere poſſit, videndo eum in ſe & extrà ſe omnia operantem.

NOn eſt opus hoc fuſiùs probare, nam ratio & experientia docent, amantem, omnem ſuam ſatisfactionem & recreationem habere, dùm ei licet frui præſentiâ amati; quocircà animæ Deum amanti non poteſt contingere major jucunditas & conſolatio, quàm ubique obvium invenire Dilectum ſuum, & in eo omnia ſua operari, ſicque in ipſo ſolo vivere; ſolummodò oportet, ut bonæ in hoc praxi aſſueſcat; v. g. ſi ſtudijs vacet, ſervet oculum amoroſum apertum ad Deum, & quemadmodùm in aëre, ſic etiam diſcat reſpirare in Dilecto ſuo, atque ità in Deo cum Deo vivat; neque enim hæc ſuavis Dei præſentis reminiſcentia ſtudio contrariatur, ſed poteſt benè cum eo conſiſtere. Si debeat aliquò ire, vel aliquid manibus operari, diſcat ſimul elicere & fovere amoroſam vel reverentialem cogitationem de Deo, ſic in Deo ſecum operante pedes & manus movendo; neque hæc cogitatio eam impediet, ſed potiùs erit cauſa, quod omnia benè faciet, ſicuti ſcire, quod in conſpectu Regis aliquid ſit faciendum, aulicis ſolet eſſe calcar & occaſio, expeditiùs, diligentiùs & meliùs omnia peragendi.

Suave eſt animæ redamare Deum amatorem, & in Deo vivere.

Studet in Deo.

In Deo operatur.

Si comedat, bibat, vel quid aliud faciat, jactet cogitatum ſuum ad eum, ſinè quo nil iſtorum facere poſſet, & qui ex merâ ſuâ bonitate omnia

Manducat, &c. in Deo.

nia dignatur cum eâ operari, ſuæ gratiæ auxilium influendo; quò ſic omnes ejus, etiam indifferentes actiones elevet ad eſſe ſupernaturale, efficiatque meritorias, ac Deo placentes; quo ſenſu ſcriptum eſt, *honeſtavit illum in laboribus & complevit labores illius.*

Actio indifferens ſit divina.

Si debeat conciones habere, confeſſiones audire, infirmos viſitare, aliave ex obedientiâ, vel charitate facere: ſi exiſtens ſuperior hùc, illùc vadat, loquatur, advigilet, facienda ordinet, &c. ubique & in omnibus habeat & foveat ſimplicem memoriam divinæ præſentiæ; hæc enim facilè & benè conſiſtit, & ſuaviter intromittitur, in omnibus agendis, abſque impedimento vel turbatione attentionis ad agenda neceſſariæ, ut omnia ritè & ſecundùm exigentiam faciat: ſimiliter ſatagat omnia ſua opera unà cum Deo operari, vel potiùs ſinat Deum omnia in ſe & ſecum operari juxtà perfectiſſimum ſuum beneplacitum; neque ſic contenta, contempletur cum magnâ animi gratitudine, reverentiâ, & amore, Dilectum ſuum in ſe & ſecum operantem, ſuam indè delectationem & jucunditatem hauriendo, cum autem per fidem ſciat, divinam ejus Eſſentiam intrà & extrà ſe, eſſe ubique diffuſam & penetratam, etiam aſſueſcere debet omnes ſuas actiones in ipſo facere, cum amoroſâ obviatione, amplexatione, reſpiratione ejuſdem divinæ Eſſentiæ; atque hoc modo clarè patet, animam Dei amantem jucundè, & delectabiliter in Deo poſſe vivere vitam Deiformem & divinam.

Anima concionatur & omnia operatur in Deo.

Videt Deum omnia ſecum operari.

CAPUT XL.

Quomodò anima Deum amans in cultu Sanctorum, & Sacrarum imaginum vel Reliquiarum; ac in amore ergà Matrem amabilem, in Deo vivere poſſit.

Ne quid deſit inſtructioni ſeu introductioni ad vitam Deiformem & divinam in Deo, ſcire oportet, eam etiam habere locum in veneratione Sanctorum, Sacrarum imaginum & Reliquiarum, hoc modo; anima Deum purè amans, tempore & loco, datâ occaſione, vel quandò feſta Eccleſiæ, vel aliæ circumſtantiæ requirunt, vel interna inſpiratio inclinat ad exhibendum aliquem eis cultum, reverentiam, invocationem, amorem, vel quemvis devotionis affectum, tùm id etiam diſcat facere in Deo; id eſt cum aſpiratione, ſpiritûs acclinatione, & quaſi actuali conformatione voluntatis cum Deo; quaſi idem volendo & intendendo, quod ipſe in tali cultu, veneratione & devotione ergà Sanctos vult & intendit; ſiquidem ipſe etiam Sanctos ſuos honorificat, & amat, cum ſcriptum

Quomodò pia anima in Deo vivat in cultu Sanctorum.

Digitized by Google

ptum ſit, *Iuſtum deduxit Dominus*, &c. *& honeſtavit labores eorum*; Item, *Dominus diligit Iuſtos*, ipſe honorat Sanctos ſuos per miracula, vult etiam eos honorari, coli & invocari, tùm in Eccleſiâ militante, tùm in triumphante; præcipuè autem ſuam Sanctiſſimam Matrem, quam ſingulariter in Deo, & poſt Deum tenerrimo, & in Deum refluente amoris affectu, velut genuini filij proſequi debemus: & generaliter, ut hîc conſequenter loquamur, dùm Sanctos veneramur, vel eis devotionis affectum impendimus, maximè Matri amabili, ſatagere oportet, ut id præſtemus perfectè, in Deo, Deiformiter & divinè. *Sap. 10. 10.* *Pſalm. 145. 8.*

Hoc modo; n. 1. ut id faciamus ad beneplacitum, & ſecundùm beneplacitum Dei, ſicque Deiformiter; 2. ut demus in nobis locum gratiæ Dei, ſivè divino ſpiritui, quatenus ipſemet Deus iſtum cultum, honorem & amorem ergà Sanctos ſuos in nobis, & per nos operetur, pro ut ipſe alia noſtra opera tàm naturalia, quàm ſupernaturalia in nobis & nobiſcum operatur; 3. in iſtum finem debet anima devota ſatagere, ut omnes ſuas potentias inferiores recolligat ſub imperio ſpiritûs, & per mortem amoris, ſeu per totalem omnis proprij intereſſe abnegationem, ac excluſionem omnis reſpectus ad proprium commodum vel incommodum, ſeſe ſinceriſſimè & puriſſimè ad Deum convertat, ſolùmmodò propter ejus amorem, beneplacitum, honorem & gloriam, cultum iſtum & venerationem Sanctis, vel eorum imaginibus, aut reliquijs exhibendo, cum applicatione mentis, & actuali refluentiâ iſtius cultus, & devotionis in Deum, tamquàm rivulorum ad mare; atque ità iſte cultus, amor ſeu devotio ergà Sanctos & Matrem amabilem, erunt cultus & amor Dei in Sanctis ſuis, nec aliud, quàm divinus amor, quatenùs ſe extendit ad Matrem amabilem vel alios Sanctos, & indè iterùm ſimpliciter ad Deum velut ad principium & finem omnis Sanctitatis refluit, abſque multiplicitate extrà directionem ſpiritus divini; neque aliâ intentione, quàm intentione, quam Deus habet in honorificatione & dilectione Sanctorum ſuorum.

Praxis colendi Sanctos Deiformiter & divinè. *Sub directione ſpiritûs.* *Ex puro amore Dei.* *Cum refluentiâ in Deum.*

Atque tali modo, ecce anima Deum amans venerando Sanctos, vel Sacras eorum imagines, aut Reliquias; & Matri amabili cum tenerrimo ac innocentiſſimo, & ſuaviſſimo amoris affectu adhærendo, ſeſe ad eam convertendo, & eam colendo, ſub directione divini ſpiritûs, cum tàm puro ad Deum reſpectu, ac cum tali finali in Deum, ejuſque amorem refluxu, ecce vivit etiam Deiformiter & divinè in Deo; imitando in hoc aliqualiter Beatos in Cælo, qui ſimili modo invicem honorando & amando, aliaque ſua opera faciendo vivent fæliciſſimè in Deo, Deiformiter & divinè uſque in ſempiternum.

Modus colendi Sanctos in Deo, & Deum in Sanctis Deiformiter & divinè. *More Beatorum.*

CA-

CAPUT XLI.

Vitam divinam in Deo comitari debet continua mors amoris, quâ vita in Deo etiam ad Deum terminetur.

Mors amoris debet comitari vitam divinam.

IN omnibus hactenùs dictis de vitâ Deiformi, & divinâ in Deo, advertendum eſt, quod continuò debeat comitari mors amoris & totalis abnegatio ſui, & omnium, quæ Deus non ſunt, de quâ alibi fuſiùs egimus; quia vita divina in Deo præſupponit præviam mortem corruptæ naturæ in omnibus, quæ ſunt extrà Deum; & in quantùm anima in ſe, vel in re aliquâ creatâ vivere incipit, tánto minùs vivit in Deo; & in quantùm ſibi, corruptæ naturæ, vel creaturis moritur, in tantùm, & non plus vivit Deo & in Deo; nam converſio ad creaturas eſt averſio à Deo, & econtrà converſio ad Deum eſt averſio à creaturis.

Converſio ad creaturas eſt averſio à Deo & econtrà.

Quapropter præter aliàs dicta de continuâ morte amoris, animæ Deum amanti hîc etiam advertendum eſt, quo pacto in Deo debeat vivere, & quo fine, quâ intentione; ac imprimis attendere oportet, ne vitam in Deo ordinet, eâque fruatur pro ſeipsâ, ſeu cum propriâ, aut adhæſivâ ſatisfactione, vel complacentiâ; alioqui enim iterùm iſtam vitam in Deo ordinaret ad propriam vitam in ſe; & proprium commodum, propria ſatisfactio, proprius amor, eſſet ultimus finis hujus vitæ in Deo; atque ità Deus non foret ultimus finis animæ, ſed ipſa ſibi, nec finaliter ultimatè viveret in Deo, ſed in ſeipſa, & conſequenter haberet ſeipſam quaſi pro Deo, ad quem velut ad finem ultimum dirigeret omnem ſuam vitam, & omnia agenda & omittenda.

Non licet homini vivere in Deo propter ſeipſum.

Qui quærit ſeipſum, habet ſe pro ultimo fine.

Ex quibus colligere eſt, vitam in Deo non poſſe conſiſtere cum puro, defæcato, impermixto amore Dei; niſi ubique & in omnibus comitetur jugis mors proprij amoris, & vitæ propriæ, cum excluſione adhæſivæ reflexionis ad aliquid extrà Deum, ejuſque beneplacitum; quatenùs hoc modo Deus ſit unicus & ultimus noſter finis, ad quem omnis noſtra vita, omnia noſtra opera, omnis noſtra actio & paſſio, ex puriſſimo amore jugiter dirigantur & ordinentur.

Vita divina debet eſſe purè propter Deum.

CA-

CAPUT XLII.

Vlterior explicatio, quomodò vita divina in Deo ſolummodò eſſe debeat propter Deum, exemplo Chriſti.

SI anima devota ſcire deſideret, quarè, quâ intentione, ad quem finem Deiformiter & divinè vivere debeat in Deo; purè & unicè eſſe debet propter Deum, propter unicum ejus beneplacitum, ad majorem ejus gloriam; Salvator id nos ſuo docet exemplo; anteà diximus Chriſtum vixiſſe in Patre, vis ſcire in quem finem? ipſe reſpondet, *ego vivo propter Patrem*, id eſt, vivo ſolùm ad obſequium, propter beneplacitum, propter amorem Patris mei cæleſtis: annè & nos propterea vivere oportet? procul dubio; in illum quippè finem reliquit Salvator nobis Corpus ſuum in cibum & ſanguinem in potum, prout ipſemet teſtatur his verbis, *ſicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem*; ità *& qui manducat me, & ipſe vivet propter me*; ac nè quis dubitaret, quin hæc vita propter Chriſtum, id eſt, propter beneplacitum, ad obſequium, propter amorem Jeſu Chriſti ſolius, etiam debeat eſſe vita in Deo, ulterius ipſe Dominus Jeſus loquitur, dicens, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*; atque de hâc vitâ in Jeſu, ſivè in Deo, ipſe ait, quod etiam debeat eſſe propter Jeſum, ſivè propter Deum.

> Vita in Deo eſſe debet purè propter Deum.
> *Ioan. 6.*
> Chriſtus vixit propter Patrem.
> *Ioan. 6. 58.*
> Vivendum propter Ieſum.

Hîc jam condemnatus eſt, & in perpetuum exilium relegandus amor proprius, omne proprium intereſſe & propria quæſitio; quocircà nemini licet, etiam divinè vivere in Deo propter ſeipſum, ut ipſi benè ſit in tempore & æternitate, ſed ſolummodò propter Jeſum, ad ejus amorem, & honorem, ut ipſe ſolus in omnibus vivat, regnet & triumphet in æternum; & conſequenter, etiamſi non eſſet Cælum, nec infernus, nec ulla alia retributio promiſſa pro piâ vitâ, nec ulla pœna comminata peccantibus, non tamen ideò anima fidelis deſineret conari vivere Deiformiter & divinè in Deo; neque enim vivit propter ſe, vel, ut ſibi benè ſit, vel non malè ſit, ſed purè propter Deum, qui etiam eo caſu foret ejus ultimus finis, ad quem omnia ſua opera, omnia agenda & omittenda dirigeret, & ordinaret.

> Cum excluſione omnis proprij amoris.

Id optimè noverat Apoſtolus, qui ideò multipliciter nobis inculcat, & hortatur, ut omni ſtudio ſatagamus vivere & mori ſolummodò propter Deum, ſivè propter Jeſum; ipſum audiamus; *unus* (Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt, ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt*; ubi, ecce Apoſtolus videtur velle inſinuare, quod, cum Jeſus expoſuerit

> Vivendum & moriendum propter Ieſum.
> *2. Cor. 5.*

rit vitam ſuam amore noſtri, nos viciſſim vitam noſtram in amore ipſius tranſigere debeamus, quò ſic aliquo uſque ipſius ergà nos amorem amore reciproco compenſemus: atque ut ſciamus nos ad hoc ſummoperè obligari; addit idem Apoſtolus alibi, *ſivè vivimus, Domino vivimus, ſivè morimur, Domino morimur*; rationem addit, *quia ſivè vivimus, ſivè morimur, Domini ſumus*; quaſi vellet dicere, cum non ſimus noſtri, ſed jure redemptionis ad Dominum toti pertineamus, rationi conſonum eſt, ut ipſi ſoli, ſivè ad ipſius ſolius obſequium, gloriam & honorem vivamus & moriamur; adhuc alibi nos volens exſtimulare ad ſoli Jeſu vivendum, adfert exemplum Chriſti, dicens; *ſcimus, quod Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultrà non dominabitur; quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quod autem vivit, vivit Deo*, quid tùm? proſequens diſcurſum addit, *ità & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Tenemur vivere & mori Ieſu.

Rom. 14, 7.

Quia ab ipſo empti.

Rom. 6. 10.

Ex quibus colligere eſt, quod ex mente Apoſtoli, non aliam ob cauſam vivere debeamus, quàm propter Deum, idque quia non ſumus noſtri, ſed Dei, qui nos redemit; ad quem proindè ſecundùm corpus & animam ſtricto jure pertinemus.

CAPUT XLIII.

Vivere oportet propter ſolum Ieſum, quia nos emit pretioſo ſanguine ſuo, & adoptavit in filios; quomodò anima devota ſeſe in hoc exerceat.

Tenemus vivere propter Ieſum quia nos emit.

2. Cor. 9.

RAtio manifeſta eſt, cur oporteat vivere propter ſolum Jeſum; eamque Apoſtolus ſignificat, dùm ait, *Ieſus pro omnibus mortuus eſt, ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt*: ratio itàque eſt, quia ipſe vitam noſtram ſuâ morte emit: mancipium emptum non poteſt ſibi vivere, ſed tota ejus vita eſt debita illi, qui illud emit; ſic ſimiliter titulo juſtitiæ obligamur ſoli Chriſto vivere; alioqui contravenimus ejus intentioni, quâ nos pretioſo ſuo ſanguine redemit; & magnam ei facimus injuriam, contrà ſtrictum jus, quod per ſuam mortem in nos acquiſivit: & cum emptio iſta tota fuerit in noſtrum favorem, *propter nimiam* ejus ergà nos *charitatem*, quià voluit nos redimere à ſervitute diaboli, à reatu æternæ damnationis, ut nos in ſuos filios adoptaret, tenemur etiam vivere propter Jeſum titulo reciprocæ dilectionis & gratitudinis ergà eum, *qui cum adhuc inimici* ejus *eſſemus, prior dilexit nos* dilectione perpetuâ; hinc meritò dicere poſſumus cum Apoſtolo, *Charitas Chriſti urget nos*, ut n.

Alioqui facimus ei injuriam.

Epheſ. 2. 4.

Amor docet nos vivere propter Ieſum.

Rom. 5. 10.

vivamus

Digitized by Google

vivamus toti ad ipſius obſequium, beneplacitum, amorem & honorem. 2. Cor. 5. 14.

Quocircà anima fidelis hanc ſuam obligationem agnoſcens, nè vel in minimo vult deeſſe, ſed omni ſollicitudine conatur amorem amore compenſare; atque hoc reputat pro unicâ & ſummâ ſuâ fælicitate, quod vitam ſuam poſſit impendere, & ſuper-impendere, omneſque vires conſumere in amore Ieſu, in ejus obſequio, & ſecundùm ejus beneplacitum. Obligatio vivendi propter Ieſum.

Dùm anima Deum ſincerè amans hoc ſemel benè concepit, & apprehendit, tunc nihil aliud deſiderat, ad nihil anhelat, niſi ut omnia ſua membra poſſint eſſe lampades, omnis ſuus ſanguis & humores oleum, quò ſic tota poſſit conſumi igne dilectionis, & de facto totis viribus corporis & ſpiritûs ità ſeſe in amore Ieſu accendere conatur, ut de illâ dicere liceat, *lampades ejus lampades ignis atque flammarum*, omnia, inquam, ejus membra, omnes ſenſus & potentiæ ſunt quaſi lampades ardentes igne charitatis, & dùm fideliter implere ſatagit monitum Apoſtoli, *omnia veſtra in charitate fiant*, quis non videat eam paulatim in amore Dei conſumi, & amorosè vivere & mori propter Ieſum? talis anima optat habere millena corpora, & millenas vitas, quas in amore Dei conſumere, ad obſequium Ieſu Chriſti exponere poſſit; unicum ejus votum eſt, replicari in millena corpora & animas, ut in ſingulis novam vitam juxtà Dei beneplacitum ducere poſſit; atque totis præcordijs anhelat, ut Ieſus per vitas toties replicatas vel multiplicatas, & de facto per omnia ſua membra, per omnes ſanguinis ſui guttulas, per omnia, quæ ſunt in corpore, & animâ, tantùm honoretur & glorificetur, quantùm Pater cæleſtis fuit honoratus & glorificatus per vitam, quam Ieſus vixit propter Patrem; ac hoc ſenſu intelligit hæc verba pſalmiſtæ, quæ jugiter habet in corde, & ſæpè in ore, *benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intrà me ſunt, nomini ſancto ejus.*

Amoroſa praxis vitæ propter Ieſum.

Cant. 8. 6.

1. Cor. 16. 14.

Pſal. 102. 1.

CAPUT XLIV.

Sicut Ieſus vivit propter Patrem, ſic nos debemus vivere propter Ieſum, quo modo.

QUandò Apoſtolus aſſerit, quod Chriſtus reſurgens ex mortuis vivat propter Patrem, *quod* enim, inquit, *vivit*, *vivit Deo*, innuit, vitam Ieſu non ad aliud ordinari, nec per totam æternitatem ad aliud ordinandam, quàm ad beneplacitum, amorem & honorem æterni Patris; quod ipſe Salvator apertè fatetur, dùm ait, *& ego vivo propter Patrem*, ut clarè

Ieſus vivit propter Patrem.

Digitized by Google

clarè ſciamus intentionem & abſolutum deſiderium Ieſu; cujus proindè verba audire lubet, *qui*, inquit, *manducat me*, utique Sanctiſſimum ejus Corpus in Sacrâ Euchariſtiâ devotè ſumendo, *& ipſe vivet propter me:* ad quod nos exhortans Apoſtolus ait, *ità & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo.*

Vitæ animæ vivunt propter Ieſum.

Ad hæc maturè attendens anima Deum amans, multùm eſt ſollicita, quomodò meliùs poſſit inſtituere vitam ſuam ad obſequium & beneplacitum Ieſu; utpotè cum nihil æquè deſideret, quàm pro viribus intentionem Ieſu adimplere, ac vitam ſuam in ejus amore conſumere; in quo Apoſtolus magnum ei lumen miniſtrare videtur, dùm ait, *qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo; & qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo; nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur; ſive enim vivimus, Domino vivimus; ſivè morimur, Domino morimur:* hinc enim anima amoroſa intelligit, quod omnia agenda & omittenda, ut *manducare*, vel *non manducare*, & ſic conſequenter omnes actiones vitales, puta, audire, videre, guſtare, tangere, olfacere, loqui, incedere, &c. vel non audire, non videre, non guſtare, &c. unicè debeat ordinare ad obſequium, amorem & gloriam Domini Ieſu; atque hoc modo vivere propter Deum, nihil eſt aliud, quàm omnia noſtra opera, quæ ſunt actiones vitæ, ſeu procedentes à potentijs vitalibus, ſivè ſenſibus internis & externis, non facere propter aliud, nec ad alium finem dirigere, quàm propter Deum & ad Deum ſolum: v. g. vita hominis conſiſtit in videndo, audiendo, guſtando, olfaciendo, in operatione phantaſiæ, appetitûs ſenſitivi, memoriæ, intellectûs, voluntatis, & aliarum potentiarum; quocircà ſi ſincerè & purè intendamus & velimus vivere ſoli Deo, ſeu propter Deum, nobis non licet uti viſu, auditu, olfactu, guſtu, tactu, niſi in quantùm ad Dei obſequium, honorem & beneplacitum poſſunt ſervire; neque etiam phantaſiam, vel appetitum ſenſitivum, vel memoriam, intellectum, aut voluntatem, aut alias potentias in actum redigere, vel membra movere licet, niſi propter Deum, ut illi ſoli placeamus, eum honoremus, laudemus, adoremus, & amemus; ad quod etiam conducere poſſunt modi & praxes, omnia noſtra opera ad Deum dirigendi, de quibus alibi egimus; ſic enim optimè vivemus Deo, & ſolummodò propter Deum; ſecùs faciunt, qui ſequuntur ſenſualitatem, qui in multis quærunt ſeipſos, qui adhuc affectant aliqua, quæ in mundo ſunt, qui ſenſus, phantaſiam, appetitum, aliaſque potentias ſinè fræno ſinunt vagari circà objecta non Deiformia; quos utique conſtat non purè vivere Deo, & propter Deum, cum plures actiones vitæ ad eum non ordinent, ſed, pro magnâ parte, ſibi, & corruptæ naturæ, ad cujus ſatisfactionem multa dirigunt, & quærunt.

Quomodò vivendum propter Ieſum.

Rom. 14. 6.

Quid ſit vivere amore Ieſu.

Vlterior explicatio vitæ propter Ieſum.

Senſuales non vivunt propter Ieſum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLV.

Alius modus vitam Deiformem & divinam in Deo exercendi propter Deum in omni actione & paſſione, cum excluſione omnis proprij amoris, ut ſolus Ieſus in nobis regnet.

QUandò anima devota incipit prædicta practicare, tunc ſtrictè ſibi ipſi advigilat, & attendit, nè quid audiat, nè quid videat, guſtet, tangat, loquatur, niſi quod poteſt ſervire ad honorem, & beneplacitum Jeſu; eſt etiam ſollicita, nè memoriam, intellectum, voluntatem, phantaſiam, vel alias potentias ullis rebus occupet, niſi divinis vel Deiformibus, vel ad Deum conducentibus; quippè hæ ſolæ, & operationes animæ circà ſimiles poſſunt ſervire ad gloriam & amorem Jeſu. *Circumſpectio piarum animarum, ut vivant ſoli Ieſu.*

Conſequenter talis anima ſatagit cum Apoſtolo, omnia alia detrimentum facere & arbitrari, ut ſtercora, quæ non ſunt propter Jeſum; uno verbo, omnes actiones vitæ ordinat ad amorem Jeſu; vel ſi ad illum conducere nequeant, ea propter amorem Jeſu omittit; nam, ut ait Apoſtolus, *qui manducat, Domino manducat, & qui non manducat, Domino non manducat*; qui aliquid videt, audit, intelligit, deſiderat, loquitur, illud Domino videt, audit, intelligit, deſiderat, loquitur, quandò confidit illud ad Dei obſequium, amorem & gloriam poſſe ſervire; ſi non; ſeſe abſtinet propter Deum ab eo videndo, audiendo, intelligendo, deſiderando, loquendo; atque in hunc modum, quidquid facit, vel omittit, Deo facit, vel omittit, & conſequenter ſoli Deo vivit, ut illi ſoli complaceat, ut ejus amorem foveat, & quidquid ejus beneplacito vel amori adverſatur, excludat, avertat, & impediat. *Ordinant omnes actiones & omiſſiones propter Ieſum.* *Quomodò.*

Talis anima non eſt pro ſeipſâ ſollicita, in nullâ re quærit ſe, nec in tempore, nec in æternitate, pro ſe nihil omninò facit, nihil quærit niſi Deum, vel propter Deum; ſi oret, non orat pro ſe, propter ſe, ſed ut Deo meliùs placeat, vel nè illi in aliquo diſpliceat; nullas virtutes exercet propter ſe, ſed propter Deum; non declinat à malo, propter ſe, vel ut pœnam aliquam evadat; nec facit bonum, ut remuneretur; nequaquàm; nam ejus intentiones hîc non ſiſtunt, ſic enim hæreret adhuc in ſeipſâ, declinaret à malo, & faceret bonum propter ſeipſam, ſicque proprium commodum, vel fugam incommodi pro ultimo fine haberet, & finaliter ultimatè ſibi viveret, non Deo; ſed tàm in malis vitandis, quàm bonis *Anima amoroſa in nullo quærit ſeipſam.* *Non vivit ſibi ſed Deo.*

Digitized by Google

bonis faciendis ſolummodò habet præ oculis intereſſe Jeſu, in quantùm ſcilicet malum vitare vel exſtirpare, ſervire poteſt ſtabiliendo in ſe regno Ieſu, & avertere, quod illi regno contrariatur; & ſimiliter, in quantùm operari bonum, & virtutes exercere, poteſt conducere ad hoc, ut regnum Jeſu in ſe floreat, & vita Ieſu in ſe manifeſtetur, uno verbo, ut faciat ſolum Ieſum in ſe vivere & regnare.

Vt regnum Ieſu in ſe ſtabiliatur.

CAPUT XLVI.

Oportet attendere, qualia opera ſint utilia ad vitam propter Ieſum: quomodò omnes electi hîc debeant incipere vitam propter Ieſum, pro ut Beati in Cælo vivunt propter ipſum.

Diſcernendum quænam conducant ad vitam propter Ieſum.

SOlummodò hîc opus eſt vigilante oculo diſcretionis, quo anima fidelis diſcernat, & dignoſcat, quales actiones, quæ ſenſuum & potentiarum operationes, quæ membrorum motiones, quæ agenda & omittenda, tempore & loco poſſint ſervire ad beneplacitum, honorem & amorem Ieſu, & quæ non; ut has vitet, & illas amplectatur purè propter Ieſum, & ſic in omnibus vivat propter Ieſum; in quo ſe conformat exemplo Ieſu, qui ſemper hîc in terris vixit, & modò vivit in Cælo, ac æternaliter vivet propter Patrem, *& ego*, inquit, *vivo propter Patrem.*

Electi æternaliter vivent propter Ieſum.

Ad hoc allaborare debent omnes animæ Deum amantes, quippè quæ in hoc mundo debeant incipere, id, quod in æternum ſperant facere in Cælo, conando in hoc hîc imitari Chriſtum, ſicuti ei in hoc poſtmodùm ſimiles erunt; ideò dicebat Dilectus Ieſu Diſcipulus, *ſcimus, quoniàm cum apparuerit*, utique in gloriâ, *ſimiles ei erimus*; & verò æterni Patris intentio eſt, ut omnes electi ſint ſimiles unigenito filio ſuo, *quia* juxtà dictum Apoſtoli, *quos Deus præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filij ſui*, n. in ducendâ vitâ æternâ, beatâ, glorioſâ propter Ieſum, ſicut Ieſus vivit propter Patrem.

1. Ioan. 3. 2.

Rom. 8. 29.

In iſtum finem, juxtà Sacrum Textum, *viginti quatuor ſeniores* procidentes, *mittebant coronas ſuas antè Thronum* Dei *dicentes, dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*, ubi ſignificatur, quod omnes, qui vivunt, regnant, triumphant, debeant vivere, regnare, triumphare propter voluntatem Dei; & Sanctus Evangeliſta Ioannes teſtatur ſe audiviſſe, *omnem creaturam, quæ in Cælo eſt, & ſuper terram & ſub terrâ, omnes,* inquit,

Apoc. 4. 11.

Omnes creaturæ ſunt propter Deum.

Apoc. 5.

Digitized by Google

521

inquit, *audivi dicentes, ſedenti in Throno, & Agno, benedictio, & honor & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum*; ut ſciamus omnes creaturas, præſertim rationales teneri cum totâ ſuâ ſubſtantiâ, cum omnibus membris & potentijs eſſe & vivere, non in alium finem, quàm propter Deum & Agnum Dei Ieſum Chriſtum, ſivè ut Deo & Agno in æternum attribuant omnem honorem & gloriam, ſicque unicè vivant propter Deum.

Hoc tàm perfectè præſtabunt omnes Beati in Cælo, ut per totam æternitatem inter omnes Beatos nullus unquàm vel oculum, vel manum, vel aliud membrum movebit, vel unam cogitationem, vel deſiderium, vel quamcumque etiam minimam ullius ſenſûs, vel potentiæ operationem ſit habiturus, niſi propter Deum & Agnum, id eſt, propter amorem, ad obſequium & honorem, & juxtà beneplacitum Dei, & Ieſu Chriſti, *qui eſt Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. O quàm perfectè ibi in omnibus Sanctis florebit regnum Ieſu! nihil omninò ibi illi erit contrarium, omnia illud fovebunt.

Beati perfectiſſimè vivunt propter Ieſum.

Regnum Ieſu in illis eſt perfectum.

Ut hoc regnum ſibi paulatim perfectiùs acquirant, debent omnes Electi ſummo ſtudio allaborare, uti ex dictis patet.

CAPUT XLVII.

Quomodò anima Deum amans etiam in afflictione corporali poſſit & debeat vivere propter Ieſum cum magnis meritis; ſimiliter in afflictione internâ.

ANima Deum amans maturè conſiderans, vitam præſentem conſiſtere, non ſolùm in operando, ſed etiam in patiendo ſecundùm corpus & animam, interiùs & exteriùs, eſt ſollicita, ut etiam in patiendo, ſolummodò vivat propter Deum & propter Ieſum, prout anteà diximus, eam in agendis vel omittendis debere vivere propter Deum & Ieſum.

Etiam patiendo vivitur propter Ieſum.

Itàque dùm opprimitur corporalibus infirmitatibus, vel pœnalitatibus, aſſueſcat eas etiam ſuſtinere propter beneplacitum & amorem Ieſu, quaſi gaudens, quod ſentiat paulatim corpus ſuum conſumi, & uſque ad ultimam ſanguinis guttulam, inſtar lampadis exuri ad ejus beneplacitum & honorem; imò, quò majori affligitur pœnalitate, eò ſuaviùs eam ſuſtinere conetur, quaſi optimè contenta, quod jam omnes vires paſſivæ, uti tempore ſanitatis omnes activæ, ad ejus beneplacitum conſumantur.

Quomodò in corporali paſſione vivendum propter Ieſum.

Poteſt etiam devotè ſeſe exercere in offerendis omnibus ſuis viribus paſſivis ad obſequium Ieſu, ut cum Apoſtolo dicere poſſit, *nunc gaudeo in paſſionibus,*

Alia praxis patiendi propter Ieſum.

Digitized by Google

Col. 1. 24. *paſſionibus*, *& adimpleo ea*, *quæ deſunt paſſionum Chriſti*, *in carne meâ*, *pro corpore ejus*, *quod eſt Eccleſia*; quatenùs ſc. paſſio Chriſti fiat fructuoſa in alijs ejus membris & Electis ſecundùm prædefinitionem Dei, v. g. in aliquibus Ethnicis, Hæreticis, peccatoribus inveteratis, jam agonizantibus, &c. ut particulam divinæ Clementiæ poſſint conſequi; vel etiam in animabus Purgatorij, vel alijs afflictis; atque hæc omnia ex puro amore Ieſu, ut omnes eum æternaliter laudent & benedicant, illi ſoli vivant, & ipſe ſolus in ijs regnet: atque hæc praxis eſt valdè Deiformis, & meritoria, præſertim dùm quis in eâ à divino ſpiritu agitur cum ſuavi, & quaſi Spontaneo fluxu divini amoris.

Modus in internis afflictionibus vivendi propter Ieſum.

Similiter in internis tentationibus, deſolationibus, anguſtijs & afflictionibus debet anima devota ſuam ergà Dilectum ſuum Ieſum fidelitatem oſtendere, cum magnâ longanimitate, & conſtantiâ, abſque eo, quod quærat aliquam alleviationem, vel ſolatium, ſe conſtituendo, & plenè reſignando ad ſimilia ſuſtinenda, quàm diù ipſi placuerit, cum voluntariâ carentiâ omnium, quæ naturam poſſent ſublevare: idque, ut aliquo uſque conformetur Ieſu Chriſto in Cruce pendenti ac in extremâ derelictione conſtituto, qui noluit de Cruce deſcendere, ſed in eâ elegit manere, abſque ullo ſublevamine, donec omnem ſuum ſanguinem & aquam effudiſſet; ad noſtrum exemplum, ut ſimiliter libenter maneamus affixi cruci à divinâ Providentiâ nobis impoſitæ, abſque eo, quod illam velimus ab humeris excutere; ità ut cum Apoſtolo dicere liceret, *Chriſto confixus ſum cruci*, utique ut cum ipſo ſibi libenter hæreamus, idque ex puro ipſius amore.

Sinè deſiderio ſublevaminis.

Exemplo Chriſti.

CAPUT XLVIII.

Quomodò anima amoroſa etiam in perſecutionibus, obloquijs, &c. debeat vivere propter Ieſum; & tandem etiam propter ejus amorem mori, quò ſic eum in ſe ponat in plenâ poſſeſſione regni ſui.

In perſecutionibus, opprobrijs, &c. vivendum propter Ieſum.

IDem ferè eſt in externâ perſecutione, improperatione, oblocutione, & ſimilibus; in quibus optimo nobis exemplo præluxerunt Apoſtoli, de quibus teſtatur Sacer Textus, quod *irent gaudentes à conſpectu concilij, quoniàm digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*: undè anima Deum amans ſumit exemplum, ut in caſu alicujus tribulationis, vel perſecutionis, vel injuſtæ oblocutionis, vel cujuſcumque afflictionis ſibi vel ab hominibus,

Act. 5. 41.

vel

vel à malignis ſpiritibus illatæ, omnia ſuſcipiat à divinâ Providentiâ tamquàm ſibi immiſſa, ut ſic potentiæ ſuæ paſſivæ exerceantur ad amorem Dilecti, patientis Ieſu, ſatagendo tali modo, in hac paſſione vivere purè propter Ieſum, ac ſpiritu exultando & gaudendo de oblatâ ad hoc occaſione, abſque eo, quod multùm ſit ſollicita ab hoc gravamine liberari, vel ad objecta reſpondere, vel apud alios ſe excuſare; ſed omnia Deo committit cum plenâ fiduciâ; quod ipſe omnia ſuo tempore diſponet in meliùs, & veritatem manifeſtabit. Suſcipiendo de manu Dei.

Inſuper diſcit anima devota, quomodò non ſolùm in agendis & omittendis, in operando & patiendo debeat vivere propter Ieſum, ſed etiam in moriendo propter ipſum; ideò ait Apoſtolus, *ſivè vivimus, Domino vivimus, ſivè morimur; Domino morimur*, audis? etiam vult, ut moriamur Domino, id eſt ad obſequium, ſeu propter amorem Domini; idque ob unam & eamdem rationem, *quia ſivè vivimus, ſivè morimur, Domini ſumus*, quod non ſolùm intelligitur de morte amoris, ad quam quotidiè tradimur, ſicut oves occiſionis, quæ mors totam noſtram vitam debet comitari propter Ieſum, in omnibus, in quibus natura extrà Deum poſſet vivere; ſed etiam de morte corporali & naturali; ac proindè dùm advenit tempus moriendi ſecundùm corpus, tùm anima Deum amans ad hoc ſeſe diſponit, cum plenâ reſignatione, cum ſuavi refluxu amoris ad Ieſum, ipſi voluntariè offerendo ſuam mortem ad æternum ejus beneplacitum, ad ejus obſequium & amorem, quò ſic Dilectum ſuum Ieſum finaliter ponat in plenâ poſſeſſione regni ſui, quod ſeſe etiam extendit ad mortuos, cum ſit *Iudex*, & Rex *vivorum & mortuorum*; atque ità etiam libenter moritur amore Ieſu, benè ſciens, ſeſe tùm vivendo, tùm moriendo, tùm etiam poſt mortem in æternum pertinere ad dominium Ieſu.

Etiam moriendum propter Ieſum. Rom. 14. 7. Quia ſumus Chriſti. Mors amoris, & mors corporis propter Ieſum. Act. 10. 42.

CAPUT XLIX.

Quomodò continua mors amoris ab animâ amoroſâ exerceri, & dirigi debeat ad amorem Ieſu.

QUantùm ad continuam mortem amoris, de quâ antè mentionem fecimus, quæ durante hâc mortali vitâ, ubique debet comitari in omnibus, in quibus anima in ſe vel extrà ſe, vel etiam in Deo, poſſet vivere, illam etiam anima devota ordinare debet propter Ieſum: ſic faciebat Doctor gentium, dùm aiebat, *ſemper nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Ieſum*; ecce Apoſtolus ſinit ſe vivum indeſinenter duci ad mortem amoris propter Ieſum, id eſt, ut ſolus Ieſus in ipſo vivat & regnet,

Mors amoris propter Ieſum exercenda. 2. Cor. 4. 11. Vt ſolus Ieſus in nobis vivat.

gnet, juxtà quod addit, *ut & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtrâ mortali*; id eſt, ut omnes noſtræ actiones, & etiam externus agendi modus omnibus manifeſtent, non ampliùs eſſe nos, qui vivimus, ſed Chriſtum vivere in nobis: ad hanc jugem mortem amoris ipſe omnes hortatur, dicens, *mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*; Regius Propheta hoc diù anteà practicaverat, dùm clamabat ad Dominum, *propter te mortificamur totâ die*, id eſt, durante die præſentis vitæ, *æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis*; ut ſciamus, quod debeamus nos mortificare, & mori corruptæ naturæ, ac omnibus, in quibus corrupta natura vivere ſolebat, non propter nos, ſeu propter proprium intereſſe, ſed purè propter amorem & intereſſe Dei, undè dicebat, *propter te mortificamur*.

Quo ſenſu.

Coll. 3. 5.

Exempla morientium propter Ieſum.

Pſal. 43. 22.

Quippè dùm anima ſic moritur ſibi, & omnibus, quæ Deus non ſunt, vel non Deiformia, id debet ſimpliciter & purè fieri propter amorem, ad obſequium & beneplacitum Ieſu, ſinè admixtione propriæ quæſitionis, ut ipſe ſolus in nobis vivat, & divina ejus vita manifeſtetur & nota fiat in nobis: ad quod indubiè opus eſt, ut amans anima etiam abneget propriam vitam in Deo, nec in eâ quærat ſeipſam, nec eam ullatenùs ordinet ad proprium intereſſe, ſed ſimpliciter ad Deum, ad ejus honorem & gloriam, ſinè adhæſivâ reflexione ad proprium commodum vel incommodum; quatenùs ſic omnis vita etiam in Deo, fluat, & terminetur ad Deum; atque ſerviat ad abſolutam perfectionem regni Ieſu in animâ, & Ieſus omnem vitam & mortem, cæteraque omnia tamquàm ad ſe ſtricto jure ſpectantia plenè poſſideat, ac ad ſuum obſequium & nutum ſemper & ubique habeat; quorum convenientiam Propheta declarans, *Domini*, inquit, *eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo*; & Salvator ait, *omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, &, *data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terrâ*, quid ergò mirùm, quod vivens debeat vivere propter Ieſum.

Vivere purè propter Ieſum, ſinè propriâ quæſitione.

Vt Ieſus in nobis regnet.

Pſalm. 23. 1.

Luc. 10. 22.

Mat. 22. 18.

Finis Tractatus ſecundi.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS TERTIVS DE VITA *MARIÆ-FORMI & MARIANA* IN MARIA *PROPTER MARIAM.*

CAPUT I.

Sicut Deiformiter & divinè vivere poſſumus; ità etiam Mariæ-formiter & Marianè; ſivè conformiter ad beneplacitum & in ſpiritu Mariæ.

ANtequam finem imponam ijs, quæ de vitâ Deiformi & divinâ in Deo, ſpiritui noſtro divina Clementia ſuggerere dignata eſt, operæ-pretium duxi aliqua addere, & inſtruere, quomodò nos gerere oporteat in ordine ad Matrem amabilem; nam filialis ergà eam amor urget nos: itaque, ſicuti alibi diximus, oportet nos vivere *Deiformiter*, id eſt, conformiter Dei beneplacito, vel ſecundùm exigentiam divinæ voluntatis; ſimili modo decet nos vivere *Mariæformiter*, ſeu conformiter beneplacito Genitricis Dei Mariæ; quarè qui faciunt profeſſionem, quod ſint filij eius chariſſimi, utuntur eodem diſcretionis oculo, quo diſcernant, an id, quod faciunt, vel omittunt, ſit juxtà Beneplacitum Dei, & Matris amabilis, conando in omnibus agendis & omittendis habere oculum apertum ad Deum, eiuſque Sanctiſſimam Matrem, ut promptè, & hilariter exequantur, quidquid noverint ipſis placere, & ſollicitè vitent, quidquid ſciverint ipſis deſplicere. Filij Mariæ vivunt Mariæformiter.

Deindè ad ducendam vitam ſupernaturalem, ſeu divinam, concurrere debet gratia ſupernaturalis, ſeu ſpiritus divinus, qui animam præveniat, excitet, coadiuvet, comitetur & ſubſequatur, cui anima Deum amans Quid ad vitam divinam ſit neceſſariū.

fideli-

fideliter coôperando ducit vitam ſupernaturalem & divinam; cum autem ex mente ſanctorum Patrum, Deus decreverit nullam hominibus dare gratiam, quæ per Mariæ manus non tranſiret; propter quam cauſam, eam vocant collum Eccleſiæ, per quod ex Chriſto, qui eſt caput Eccleſiæ, omnes gratiæ, omneſque cæleſtes benedictiones in reliqua membra derivari neceſſe eſt; ita ut omnes Dei gratiæ etiam ſint beneficia & gratiæ huius ſuperamabilis Matris; benè ſequitur, quod non ſolùm gratia ſeu ſpiritus Dei in ſimilibus animabus faciat opera, & cauſet vitam divinam, ſed etiam gratia & ſpiritus Mariæ operatur & cauſat vitam Marianam.

Omnis gratia per Mariam.

Gratia Mariæ facit vitam Marianam.

Sanctus Ambroſius optabat, ut ſpiritus Mariæ taliter in nobis viveret, dum dicebat, *ſit in omnibus anima Mariæ, ut magnificet Dominum; ſit in omnibus Mariæ ſpiritus, ut exultet in Deo ſalutari ſuo*; & ego ulterius dico, ſit in nobis omnibus ſpiritus Mariæ, ut illo ſpiritu vivamus; ut eius ſpiritus in nobis manens, ipſe nobis faciat opera noſtra, & nos ſic per ſpiritum eius vivere poſſimus; ideò ipſa loquitur per os Matris Eccleſiæ, *Spiritus meus ſuper mel dulcis*; &, *qui operantur in me*, id eſt, cum gratiâ per me acquiſitâ, *non peccabunt, qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*; alibi ait, *in me gratia omnis viæ*, id eſt, pro omni ſtatu animarum Deum amantium vel quærentium, *in me omnis ſpes vitæ & virtutis*: ſic, ut nemo cuiuſcumque ſtatus vel conditionis fuerit, aliquam gratiam conſequatur, nec poſſit habere aliquam ſpem vitæ divinæ, vel Chriſtianæ virtutis, niſi mediante Mariâ, niſi ex diſpenſatione, & diſtributione Matris amabilis; atque hoc ſenſu, anima devota paulatim aſſueſcit ducere vitam divinam & unà Marianam, utpotè provenientem ſimul à ſpiritu Dei, & ſpiritu Mariæ, ſeu à divinâ gratiâ ſibi impetratâ & conceſſâ per manus Mariæ: quo ſenſu, & quo modo; dum anima Deum quærens eò venit, ut conſtanter degat vitam Chriſtianam & divinam, ei licet dicere, *vivo ego, iam non ego; vivit verò in me Chriſtus*, & Maria; vel, *Spiritus* Ieſu & Mariæ *in me manens, ipſe facit opera*; eſt *unus atque idem ſpiritus* Ieſu & Mariæ, qui operatur omnia in animâ. Hoc ſenſu etiam dicere licet, quod Maria habeat regnum ſuum in animâ, ac thronum ſuum iuxtà thronum Ieſu Filij ſui; & quod cum proportione, quâ regnum Ieſu augetur, & magis floreſcit in animâ, etiam in ipſâ augeatur, & floreſcat regnum Mariæ; tunc in animâ verificatur, *aſtitit Regina à dextris tuis*; ſiquidem regnum Jeſu, & regnum Matris eius indiviſibiliter tunc floret in animâ; Ieſus & Maria unanimiter in ipſâ regnant.

D. Ambr.

Eccl. 24. 27.

Eccl. 24. 30.

Ibid. 25.

Vita divina & Mariana.

Gal. 2. 20.

Quo ſenſu Ieſus & Maria vivant in animâ.

Ieſus & Maria regnant in animâ.

Pſalm. 44. 10.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Sicuti in Deo, ſic & in Maria vivere poſſumus, ſive operando, ſive patiendo, ſive moriendo, id quod in animâ fit vel per conſuetudinem acquiſitam, vel per amorem Dei.

VLteriùs, quemadmodum anteà oſtendimus, quomodò vita Deiformis & divina ſit exercenda in Deo; ſic etiam exerceri poteſt in Maria, hoc modo: ut vivamus in Deo, in omnibus agendis, omittendis & ſuſtinendis, oportet ſua opera facere, vel quidquid in corpore, vel animâ, intùs vel extrà, ab hominibus vel malignis ſpiritibus patiendum occurrit, ſuſtinere cum reverentiali & amatorio animo, cum ſuavi & amicabili ſpiritûs converſione, introverſione, acclinatione, vel aſpiratione ad Deum, cum tranquillâ divinæ Eſſentiæ quaſi reſpiratione; prout Salvator ſinebat omnia ſua opera à Patre in ſe manente agi, & ipſe illa, unà cum Patre, operabatur cum ſuavi, amoroſâ, reverentiali ſpiritûs converſione ad Patrem ſuum cæleſtem. Modus vivendi in Deo.

Simili modo etiam poſſumus vivere in noſtrâ Matre ſuperamabili Mariâ, ſatagendo in agendo & patiendo, in omnibus faciendis, & omittendis, in pœnalitatibus, doloribus, afflictionibus & preſſuris, in nobis conſervare & fovere etiam filialem & teneram, ac innocentem animi converſionem, amoroſam aſpirationem ſeu reſpirationem ad Mariam, velut ad Matrem ſuperamabiliſſimam & dilectiſſimam in Deo; ſic nimirùm, ut amor ergà eam, & ab eâ ad Deum habeat ſuavem ſuum fluxum & refluxum. Modus vivendi in Maria.

Hoc videtur divinus Spiritus aliquandò in animâ operari per ſuperſparſionem, & ſupereffluentiam aut exundationem divini amoris ad Mariam, & ab ipſâ rurſus ad Deum; prout factum eſſe patet in Sanctâ *Maria Magdalena de Pazzi*, quæ in ſua exuberantia divinæ charitatis, ſæpiùs ad Virginem Deiparam, velut ad matrem ſuperſuaviſſimam ſolebat habere ſuos amoroſos recurſus, filiales decurſus, amatoria colloquia teneritudine & innocentiâ plena, etiam in ſuis extaſibus, quas indubiè in illa operabatur divinus Spiritus: qualibus exemplis etiam ſcatent vitæ variorum Sanctorum, Bernardi, Petri Thomæ, Ioſephi, aliàs Hermanni, & ſimilium. Per ſupereffluentiam divini amoris. M. de Pazzi vivit in Maria.

In tali diſpoſitione, quam in anima vel operatur quaſi ſponte Spiritus amoris, vel facilitat habitus acquiſitus ex frequentatis actibus amoroſæ ad Matrem amabilem converſionis, anima retinet jugem, & ſuavem ipſius Vita in Mariâ ſicut in Deo.

 remi-

reminiſcentiam, & conformem inclinationem ad illam, eo ferè modo, quo experitur amoroſam vel reverentialem memoriam Dei, in omnibus ſuis operibus: ità ut, ſicuti per fidele exercitium fidei, & ſtabilis dilectionis, acquiſivit habitum, ſeu conſuetudinem Dei præſentiam ſemper & ubique in mente habendi, & ſincero amoris affectu in Deum fluendi, cum tali facilitate, ut videatur illi impoſſibilis oblivio Dei; ſimili modo amans Mariæ filius per conſtans exercitium eam velut Matrem amabilem in memoriâ habendi, acquirit habitum ſeu conſuetudinem iſtius filialis & amoroſæ memoriæ; ita ut omnes eius cogitationes, & affectiones ſimul ad ipſam, & ad Deum terminentur, nec anima, Matris amabilis, aut Dei oblivisci poſſe videatur; talem conſuetudinem acquiſiverat ſanctus *Petrus Thomas* Patriarcha Conſtantinopolitanus Ordinis Carmelitarum, quâ fiebat, ut in omnibus ſuis operibus, & ſublimium officiorum, ac legationum Apoſtolicarum functionibus, ad Mariam velut ad Matrem amantiſſimam filiali affectu maneret inclinatus, omniaque ſua opera eius amore condiret, ac ad eius honorem actu dirigeret; & ipſa viciſſim materno affectu & ſollicitudine eum ubique proſequeretur, conſolaretur, & confortaret.

Per habitum acquiſitum.

S Petrus Th. vivebat in Maria.

CAPUT III.

Quomodò amor divinus ſeſe in animâ extendat ad Matrem amabilem, & animam in Deo, & ſimul in Mariâ faciat vivere; quomodò etiam anima extrà operationem iſtam ſeſe gerat ergà Matrem Dei.

Quomodò amor Dei ſe extendens ad Mariam faciat hominem Mariæ filium.

QUandò tenellus ille, filialis vel etiam innocens animi affectus ergà Matrem amabilem, in animâ devotâ exercetur à ſpiritu Dei, ſeu divini amoris, tunc omnia ſponte fluunt, & etiam natura pro illo tempore videtur immutari, ità ut aſſumere videatur innocentiam, teneritudinem, parvitatem, aliaſque conditiones, & inclinationes unius parvuli ad Matrem ſuperamabiliſſimam & chariſſimam, & ut talis agit cum illa valdè innocenter.

Rom. 5. 5.

Luſus amoris Dei ad Matrem amabilem.

Cum autem tunc *Charitas Dei diffuſa ſit in corde* eius *per Spiritum Sanctum, qui datus eſt illi*, quique animam tunc agit, dirigit, animat, ac in hoc luſu amatorio eſt principalis agens, innocens illa cum Matre amabili tractatio nihil eſt aliud, quàm exuberantia & effluxus divini amoris, quo anima tunc etiam agitur, & tenerrimè fertur ad Matrem amabilem; ita tamen, ut eodem tempore anima cum eâdem amoris teneritudine in Mariam refluens,

Digitized by Google

fluens, illicò quaſi illam ſecum trahat, ſicque in Deum refluat, abſque ullo medio, impedimento, vel mixtione ſpiritûs: atque hoc modo amor Dei & Mariæ videtur eſſe unus & idem, unà fluens & refluens, donec anima ſimul cum Matre amabili amorosè quieſcat in Deo; vel potiùs, eſt *unus atque idem ſpiritus*, qui iſtum amoris affectum ad Deum & ad Mariam operatur, pro ut vult, & quandò vult; ſaucians animam, & eam efficiens ut tenerrimam Sponſam inter brachia Dilecti ſui, & aliquandò ut innocentem parvulum ad Matrem hanc dulciſſimam.

Vnus & idem ſpiritus operatur amorem Dei & Mariæ.

1. Cor. 12.

Porrò extrà actualem illum tractum & operationem Spiritûs Sancti, ſeu divini amoris, manet amoroſus Mariæ filius in ſuavi ejus memoriâ, & amabiliter ad eam inclinatus, non tamen cum tantâ innocentiâ, vel teneritudine, ſed cum affectu rationaliori, maturiori, & viriliori; imò, licet vellet, non poſſet tunc ſe ità innocenter & tenerè gerere, vel operari, & talis agendi modus quaſi fictè ab eâ procederet; ubi aliàs omnia quaſi naturaliter, ab intrinſeco, & ſponte fluunt, ſinè ullâ perceptibili fictione, aut ſimulatione; nimirùm à Spiritu Dei in animâ manente, qui operatur diverſimodè pro ſuâ bonâ voluntate, & quandò vult, & quomodò vult: dicerentur eſſe duæ diverſæ perſonæ in animâ, quæ per vices agunt ſuas partes, non fictitiè vel affectatè, ſed naturaliter, quaſi nunc unum, nunc aliud eſſet à naturâ inſitum: ità ut anima ſubindè ſeipſam miretur, quod, modici temporis ſpatio, nunc unam, nunc aliam diſpoſitionem, & inclinationem, ità diverſam, & invicem contrariam in ſe deprehendat, quaſi non eſſet ipſa una & eadem perſona: quocircà nè luſus hic corrumpatur; conatur ſemper attendere ad internas ſuas, quaſi ſponte fluentes inclinationes, ut illas ſimpliciter ſequatur, ſinè ullâ umquàm violentatione ſpiritûs.

Vita in Mariâ extrà actualem tractum ſpiritûs.

Quomodò Spiritus Sanctus operetur amorem Mariæ.

CAPUT IV.

Sicuti oportet vivere, operari, pati, mori propter Deum; ità etiam propter Matrem amabilem: quo modo?

EX omnibus anteà dictis colligere licet, quo modo anima Deum amans, etiam poſſit vivere in Mariâ: quæſtio eſt, an etiam deceat, & liceat vivere propter Mariam, ſicut oportet vivere propter Deum; & reſpondeo, quod ſic, in hunc modum, quod anima Deum amans, prætérquàm quod vivat propter Deum, id eſt, omnes ſuas operationes vitales omnium ſenſuum & potentiarum activarum, ſimiliter omnes paſſiones, ſeu pœnalitates virium paſſivarum, exerceat & dirigat ad honorem, juxtà bene-

Modus vivendi propter Deum & Mariam.

beneplacitum, & ad amorem Dei; tali etiam modo conetur vivere, id eſt, omnes ſuas vires activas & paſſivas occupare & conſumere propter Mariam, ſivè ad obſequium, ad honorem, & propter amorem Mariæ, ut etiam ipſa in omnibus honoretur, glorificetur, & ametur, ejuſque regnum promoveatur, perficiatur, & extendatur in regno Jeſu filij ejus: ità ut, ſicuti vivimus, operamur, patimur, morimur propter Ieſum, ſic etiam vivamus, operemur, patiamur, moriamur propter Mariam; & ſicut Ieſus debet habere ſuum regnum in nobis, ità etiam Maria regnet in nobis, habendo ad ſuum placitum & obſequium, omnes noſtras actiones & paſſiones; quatenùs ſic ipſa, nobis coöperantibus, etiam ponatur in plenâ poſſeſſione regni ſui, cujus gaudet titulo, tamquàm Regina Cæli & terræ, tamquàm Regina juſtorum & Sanctorum omnium, qualis non eſſet, ſi ei non competeret aliquod in nos dominium & imperium, nec nos teneremur vitam noſtram componere & dirigere ſecundùm ejus beneplacitum, ad ejus obſequium, & honorem.

Quomodò regnum Ieſu & Mariæ in animâ ſtabiliendum.

Tali modo Sanctus *Petrus Thomaſius* Carmelitici ordinis decus eam inſtituebat & venerabatur reginam animæ ſuæ, dùm omnia ſua opera, omnemque vitam ſuam continuò ad illius honorem & amorem conſecrabat, & in ſignum perfecti ejus in ſe regni, ſanctiſſimum ipſius Nomen cordi gerebat inſculptum; Similiter Sanctus *Gerardus* Carmelita, in ſignum, quod eam agnoſceret in reginam ſuam, quotidiè recitabat officium glorioſæ ejus in Cælum Aſſumptionis, quò ſic haberet jugem memoriam illius inaugurationis in Reginam Cæli & terræ; in quam agnitionem etiam adduxit Sanctum *Stephanum* Regem Hungariæ, qui proindè totum ſuum regnum ei ut illius Reginæ conſecrabat, & ordinabat, nè ullus ſubditorum eam aliter nominaret, quam Dominam ſuam ſeu Reginam; undè nos etiam decet diſcere, quod totam noſtram vitam ad ejus honorem componere debeamus.

S. Petrus Thomaſius faciebat Mariam ſuam Reginam.

Etiam S. Gerardus.

Deindè, cum ipſa ſit Mater omnium Electorum, rationi conſentaneum eſt, quod ei exhibeamus affectum filialem, & tenerum amorem in omnibus agendis & omittendis, in operando & patiendo, in vivendo & moriendo, ità ut ipſa ſit ſecundum objectum omnis noſtræ reſpirationis, intentionis, & refugij, propter quod vivimus, nobis perſuaſum habentes, quod ſivè vivimus, huic Reginæ Matri vivimus, ſivè morimur, huic Dominæ Matri morimur, quia ſivè vivimus, ſivè morimur, hujus Dominæ Matris filij ſumus; quamobrem ipſam ad nos clamantem audire videor, etſi multas nutrices, ſeu novercas habeatis, ſed non multas Matres, *in Chriſto enim Ieſu ego vos genui.*

Maria eſt Mater Electorum.

Debet eſſe ſecundum objectum intentionis noſtræ.

1. *Cor.* 4. 15.

CA-

CAPUT V.

Vita & mors propter Mariam ulteriùs dirigi debent ad Deum propter Deum, abſque propriâ quæſitione; idem eſt in cultu aliorum Sanctorum.

VErumtamen hîc advertendum eſt, quod vivere & mori propter Mariam (idem eſt de cultu, amore, & veneratione aliorum Sanctorum) oporteat ulteriùs dirigere & ordinare propter Deum; ſicuti enim Maria tota eſt ad beneplacitum Dei, & in æternum vivet propter Deum, ad ejus placitum, amorem & gloriam; itâ omnis vita & mors propter Mariam debent ulteriùs ſervire & dirigi propter Deum, itâ ut non vivamus vel moriamur propter Mariam tamquàm propter finem noſtrum ultimum, vel cum reflexione adhæſivâ ad noſtrum proprium commodum, vel ad aliquid aliud extrà Deum; ſed dumtaxàt, ut per vitam & mortem in Mariâ, & propter Mariam, perfectiùs vivamus & moriamur in Deo propter Deum ad ejus beneplacitum & amorem; atque ut perfectum regnum Mariæ in nobis, ſimul conſiſtat cum perfecto regno Ieſu in animâ noſtrâ; neque enim regnum Mariæ contrariatur regno Ieſu, & ad illud totaliter ordinatur.

Vita propter Mariam ulterius dirigitur ad Deum.

Sinè propriâ quæſitione.

Regnum Mariæ non contrariatur regno Ieſu.

Quocircà anima Deum amans, quæ profitetur ſe genuinum Matris amabilis filium, advigilat omnibus ſuis operibus, ut charitatem Dei, *quæ diffuſa eſt in corde ejus per Spiritum Sanctum, qui datus eſt illi*, etiam ſinat fluere, & extendi ad Mariam, ſuaviter & amatoriè ad eam confugiendo, amorosè ſuum ſpiritum ad illam convertendo, cum amicabili & filiali ejus ubique memoriâ, & reverentiali ad eam animo; itâ tamen ut hic effluxus, hæc extenſio charitatis Dei ad Matrem amabilem, rurſus revertatur, & refluat, & ultimatè terminetur ad Deum, nec aliâ ratione permittatur vel exerceatur, niſi propter Deum.

Amor Mariæ refluit ad Deum.

Hoc perfectè fit, dùm anima in hoc, à divino Spiritu, ab intùs quaſi ſponte agitur & dirigitur; tunc enim experitur, quod hæc vita propter Mariam non ſit impedimento vitæ propter Deum, ſed potiùs adjumento, & ad illam calcar addat; vel potiùs eſt confluentia charitatis Dei per Mariam, & cum Mariâ in Deum, cum finali liquefactione amoris, & conquieſcentiâ cum Matre amabili in Deo, vel in amore, ſimul ad Matrem amabilem, & ad Deum, finaliter tamen conquieſcendo in Deo, tamquàm in fine ultimato.

Amor Mariæ non contrariatur vitæ divinæ.

CAPUT VI.

Vita Mariana complectitur in ſe aliquam perfectionem majorem, quàm ſtatus ſimplicis unionis cum Deo, ſicuti in Beatis: hæc vita eſt Mariano-divina in Deo propter Deum & ſimul in Mariâ propter Mariam ſimpliciter.

Vita Mariana quo ſenſu perfectior vitâ ſimpliciter divinâ.

VIdetur ſpiritus ulteriùs inſtruere, & experientia aliquas pias animas docere, quod vita in Mariâ, ſeu Mariana condita, ſivè unita vitæ in Deo, ſeu divinæ, dici poſſit, & ſit uno gradu altior, quàm ſtatus ſimplicis unionis cum Deo, ſummo Bono, ſeu quam ſimplex vita in Deo, ſivè divina; licet enim communi loquendi modo, Deus ſit unicus & ultimatus finis animæ, utpotè abſolutum unicum & ſummum ejus bonum, ad quod creata eſt, cujus ſummi Boni conſecutione, contemplatione, poſſeſſione & fruitione omnis ejus fælicitas, aut beatitudo conſiſtit, hîc & in alterâ vitâ; quo ſenſu, etiam anima nihil ulteriùs prætendere, ad nihil ſublimius conari, vel pertingere poteſt; attamen alio ſenſu poteſt altiùs tendere & aſcendere, ſcilicet hoc modo.

Mose vitæ Beatorum in Cælo.

Quemadmodùm Beati in Cælo generaliter fruuntur perfectâ gloriâ, beatitudine, gaudio & ſatietate in contemplando, amando, fruendo Deo, facie ad faciem: ſeu in hoc, quod ſint irradiati lumine gloriæ, & perfuſi amore beatifico, in quibus ſummâ ipſorum fælicitas & beatitudo ſita eſt; ità tamen, ut omnibus notum ſit, quod præter hanc beatitudinem, ſeu gloriam eſſentialem, adhuc fruantur alijs glorijs & gaudijs accidentalibus, quiſque juxtà exigentiam & menſuram meritorum ſuorum, ac diſpoſitionem Dei remuneratoris; v. g. in contemplatione ſacratiſſimæ Humanitatis Chriſti, ſacrorum Vulnerum ejus, Sanctæ Crucis, ut cauſæ inſtrumentalis ſeu Beatitudinis, glorioſiſſimæ Genetricis Dei, Beatiſſimi Ioſephi, aliorumque Sanctorum; Item clara notitia aliquorum Myſteriorum Dei, & ſimilia; quorum accidentalium gaudiorum unus beatus plus participat, alius minus; quo ſenſu etiam unus ſanctus eſt ſublimior in gloriâ, quàm alius; quia nempè amor beatificus in uno eſt intenſior, & ad plura objecta gaudioſa extenſior, quàm in aliò.

Gloria eſſentialis & accidentalis.

[U]nio eſſentialis ad Deum & accidentalis ad Mariam.

Simili ferè modo etiam in hâc vitâ aliquibus pijs animabus conceduntur quædam accidentales gratiæ, dona & ſavores; per quod, certo ſenſu aſſimilantur Beatis, & elevantur ad perfectiorem ac ſublimiorem modum aut gradum amoris unitivi, & paulatim perveniunt ad vitam amore & fruitione Dei perfectiorem.

Quo

Quo ſenſu vita Mariana unita divinæ etiam eſt perfectior, ac uno gradu altior, quam ordinaria vita contemplativa & unitiva; ſiquidem vita iſta Mariana eſt quaſi duplex, ſc. divina-Mariana in Deo & Mariâ, per ſimplicem contemplationem, dilectionem & quamdam fruitionem Dei in Mariâ, & Mariæ in Deo: & quandò pia anima à divino ſpiritu intùs habitante conſtanter & paſſim movetur, ut hæc duo objecta, Deum in Mariâ, & Mariam in Deo, in omnibus agendis & omittendis habeant in memoriâ, contempletur, amet, reſpiret, tunc dici poteſt ducere vitam divino-Marianam in Deo, & Mariano-divinam vitam in Mariâ; & conſequenter, dùm anima in omnibus ſuis operibus, verbis & cogitationibus continuò intendit majorem utriuſque hujus objecti amorem, obſequium & honorem; patet, quia vivit propter Deum & propter Mariam.

Vita Mariana unita divinæ eſt perfectior quàm ordinaria contemplativa.

Vita propter Deum & Mariam.

Eſt autem hæc vita divino-Mariana perfectior vitâ ſimpliciter divinâ, quia ſpiritus amoris, præter unionem animæ cum Deo, abſque ullo hujus impedimento, etiam unit animam Mariæ, eamque in Deo ſimul & in Mariâ occupatam tenet, ſicque eſt ſaltem extenſivè perfectior, quàm ſi ſolùm circà Deum vel in Deo occuparet; eò modò, quo vita Beatorum eſt extenſivè & accidentaliter perfectior, quæ circà plura objecta gaudioſa verſatur, quam quæ circà ſolum Deum, per ſe loquendo, & cæteris paribus.

Vita divino-Mariana perfectior divinâ ſimpliciter.

CAPUT VII.

Objectum vitæ Marianæ eſt Deus & Maria, & quodam ſublimi modo uniti, ſeu unum inter ſe; ſicut objectum alicujus vitæ contemplativæ eſt vel Deus ſolus, vel Deus & homo ut perſonaliter uniti, ſeu unum: quales hinc in animâ fluant operationes.

PRo majori declaratione; ſicuti reperitur vita ſimplex contemplativa, habens pro objecto ſolam informem Dei Eſſentiam, vel aliquid planè divinum, puta Sanctiſſimam Trinitatem, vel divinas notiones, attributa & perfectiones ejuſdem; & alia vita contemplativa, cujus objectum eſt Chriſtus, Deus & homo, Deus in aſſumptâ humanitate, & humanitas in divinitate perſonaliter unitâ: ſic etiam præter ſimplicem vitam contemplativam Dei, & contemplativam Chriſti, Dei & hominis, datur vita contemplativa Dei in Mariâ, & Mariæ in Deo, quaſi indiviſibiliter oc-

Simplex vita contemplativa.

Digitized by Google

Vita contemplativa Mariæ in Deo & Dei in Mariâ.

cupata in utroque, amoroſè fluens ad hos duos, ut ſingulari modo ſimul unitos, non quidem perſonaliter, ſicuti humanitas in Chriſto Divinitati unita eſt; ſed quaſi ſubſtantialiter gratioſè, modo planè ſublimiori, quàm quævis aliæ creaturæ, etiam nobiliſſimæ Deo unitæ ſunt, nempè in qualitate Matris, quæ utique certo modo cenſetur unum cum filio ſuo, cum Deo, cujus Mater eſt, quæ ut talis, ſinè Divinitate reſpici, amari, honorari non poteſt.

Vnitas Mariæ in Deo.

Quomodò anima Deum & Mariam ſimpliciter contempletur & amet.

Tali modo Maria proponitur aliquibus pijs animabus, n. ut una in Deo & cum Deo, abſque eo, quòd aliquid mediare videatur; quô etiam fit, quod tales animæ etiam videantur ubique obviam habere, oſculari, amplecti, &c. Matrem amabilem in Deo, cum mirâ liquefactione, & amoroſâ occupatione, ſui evaneſcentiâ in ipsâ ſimul & in Deo; tunc etiam quaſi introlumuntur, & includuntur puriſſimo, amantiſſimo, & ardentiſſimo ejus cordi, vel gremio materno, languentes, quaſi ebriæ, & amentes præ teneritudine innocentiſſimi amoris ergà ipſam, & ſimul ergà Deum, cum effluentiâ amoris ergà utrumque; vel etiam ibi dulciter quieſcendo, abſorpta, languida, fluens ad unum & in uno; ſic ut hæc ſit duplex & ſimul ſimplex vita divina; tùnc iſtis animabus conceditur vita ſpiritûs in Mariâ, quies in Mariâ, fruitio Mariæ, quædam amoroſa liquefactio in Mariâ, & amor unitivus cum Mariâ.

Operationes amoris ad Mariam, & unà ad Deum.

Vita in Mariâ.

Modus contemplandi Deum & Mariam ut unum.

Quæ omnia fiunt hoc modo; ſpiritu cum omni poſſibili ſimplicitate, nuditate, & tranquillitate introverſo, & expanſo in informi Eſſentiâ Dei, intimèque occupato in contemplatione, dilectione, & fruitione iſtius ſimpliciſſimæ Eſſentiæ; anima nonnunquàm interiùs etiam ſuaviter allicitur, ut ſimul contempletur, diligat, amplexetur Matrem amabilem, ei amoroſè adhæreat, eâque dulciter fruatur, uno verbo, amabiliſſimè cum eâ veluti unâ cum Deo, & Deo ſingulariter unitâ occupetur: ità ut amando & fruendo Deo, etiam amet & fruatur Matre amabili, quaſi ipſa eſſet unum cum Deo; ſicque tantùm unicum hujus amoris & fruitionis objectum eſſe videatur Deus & Maria, ex parte animæ pro tunc circà utrumque per modum unius occupatæ; eo ferè modo, quo anima devota verſatur circà humanitatem Chriſti, quam contemplatur ut unitam Divinitati, ſicque duas naturas in unâ perſonalitate unitas habet pro uno objecto; ſimili enim modo contemplatur & diligit tunc Ieſum & Mariam tamquam Matrem & filium arctiſſimâ unione conjunctos, & ſic per modum unius, vel quidem diverſorum, ſed correlativorum, quorum unum ſinè altero cognoſcere, vel amare nequit.

Sicut contemplatur Deum & hominem in Chriſto.

CA-

Digitized by Google

518

CAPUT VIII.

Vita Mariana non ponit impedimentum ſimplici vitæ contemplativæ; quomodò illam extrà actualem Spiritûs tractum exercere oporteat, & à Sancto Petro Thomâ, aliiſque Sanctis ſit exercita.

EX dictis patet, quod hic ſit excellens, purus, & perfectus modus amandi Divam Virginem; etſi fortè paucis per experientiam notus, eo quod hæc vita Mariana in Maria, propter Mariam, & ſimul divina in Deo propter Deum ſolummodò videatur propria & ex ſpeciali favore conceſſa ſingularibus Mariæ amatoribus, & filijs Chariſſimis, quos ipſa ad hoc ſpecialiter eligit. *Perfectus modus diligendi Mariam.*

Idcircò, licet aliqui, etiam ad ſummam perfectionem tendentes reperiantur, quibus hæc vita Mariana in Maria propter Mariam parum aut nihil ſapiet, aut probabitur, nè tamen ideò illam deſpiciant, aut dijudicent, tamquam vitam ſpiritûs, adhuc imperfectam; ac ſolis incipientibus vel proficientibus propriam, utpotè cum illis videatur nonnihil contraria ſimplicitati, annihilationi, omnium creaturarum abnegationi, atque adeò à perfectione adhuc aliena; ſiquidem ſcire debent eam valdè benè poſſe conſiſtere, abſque eo, quod cauſet ullum ei impedimentum, uti ſuprà diximus & explicavimus; quin potiùs econtrà, dum Deus ſic in anima operari dignatur, vita iſta Mariana multùm iuvat, & fovet. *Aliqui myſtici parvi faciunt vitam Marianam. Sinè cauſa.*

Quamquam omnia congruo tempore fieri debeant; etenim extrà actualem illum tractum & divinam ſpiritûs operationem, non eſt conſultum, ſpiritum ad hoc violentare, ſeu urgere, vel groſſiori modo eum in ſimilibus occupare; ſed ſufficit amoroſo animo Matrem amabilem reſpicere, & modo maturiori illam diligere, donec ipſa dignetur iſtum ſpiritum vitæ Marianæ, animæ infundere; & quandò animæ Deo unitæ, à Matre amabili allicientur, & quaſi manu-ducentur ad hunc gradum altiorem, tunc experientiâ diſcent eſſe vera, quæ hîc de vitâ Marianâ in Mariâ propter Mariam ſcribuntur. *quomodò extra actualem tractum Maria diligenda.*

Tunc non videbitur talibus mirum, quomodò ſanctus *Petrus Thomas* Carmelita, ad hanc Matrem ſuperamabilem habuerit tam tenerum amoris affectum, tam amoroſos & fiduciales acceſſus, tam ſuavem eius memoriam, & jugem circà illam occupationem; ſic ut numquam illius videretur poſſe oblIviſci, & cor eius cum omnibus viribus, eius reminiſcentiâ, *S. Petrus Thomas vivebat in Mariâ.*

Digitized by Google

clarâ notitiâ & amore videretur plenum; equidem ſive loqueretur, ſive manducaret, ſive biberet, vel quæcumque alia faceret, omnia erant condita amore, & ſuaviſſimo nomine Mariæ, cuius proindè in ſuo corde impreſſionem meritò refertur accepiſſe; nam diuturna conſuetudo tam amorosè Mariam in corde geſtandi, & ardenti dilectionis affectu proſequendi, eum quaſi in Mariam liquefecerat, ei univerat, & quaſi in illam transformaverat, nimirum per amorem liquefactivum ad ipſam & ſimul in Deum: Idem eſt de ſancto *Bernardo*, qui de uberibus noſtræ amabiliſſimæ Matris videbatur vivere; Beatus *Ioſeph* Ordinis Sancti Norberti ab eâ videtur fuiſſe enutritus: Sancta *Maria Magdalena de Pazzi*, alijque innumeri ſancti de facto duxerunt vitam Marianam, ſinè ullo impedimento divinarum ſuarum contemplationum, vel amoris unitivi cum Deo; dicere enim, quod hi ſancti in his amoroſis in Maria exercitijs, & internis divini Spiritus in operationibus fuerint imperfecti, videtur nec contrariari rectæ rationi, & debitæ ſanctis reverentiæ, pro ut alibi fuſiùs monſtratum eſt.

Etiam S. Bernard.

Etiam S. M. de Pazzi.

CAPUT IX.

Vita Mariana habet ſuam excellentiam ex perfectiſſima Mariæ unione cum Deo; alioqui foret imperfectior, & animam à Deo mediaret: Maria eſt magis una cum Deo, quàm ulla creatura, velut Mater Dei, & magis Deificata.

Vita Mariana habet perfection. ex vnitate Mariæ cum Deo.

EX ante dictis colligere licet, quod vita Mariana in Maria propter Mariam, omnem ſuam dignitatem, excellentiam, ſublimitatem & perfectionem habeat, ex ſingulari & excellentiſſima eius unione cum Deo, & ex ſuperabundantia & participatione divinorum chariſmatum, gratiarum, prærogativarum, proprietatum &c. ipſi quaſi ſinè numero, aut menſura præ omnibus alijs creaturis infuſarum, modo quodam ineffabili, & nobis incomprehenſibili.

Vnde vita Mariana habeat ſuam excellentiam

Idcircò ex contemplatione, dilectione, amplexu, fruitione Mariæ ut taliter divinitate obumbratæ, irradiatæ, imbutæ, eique tam excellenter unitæ, trahit hæc vita Mariana ſuam excellentiam & ſublimitatem, velut ex inexhauſtâ abyſſo omnium bonorum, utique ipſo Deo ut Mariæ unito, & ut ſic una cum ipſa, ſimplici & indiviſa contemplatione, amore, amplexu, conſiderato, dilecto, amplexato.

Alioqui

Digitized by Google

Alioqui ſinè hac ſimultanea Mariæ in Deo, & Dei in Maria per modum unius contemplatione, dilectione, fruitione, vita Mariana exerceretur modo rudiori & imperfectiori; nam eam conſiderare, diligere, amplecti, teneroque affectu ferri in illam ut puram creaturam & non ut unitam cum Deo, & in Deo, neceſſariò cauſaret naturalem aliquem aut ſenſualem, vel ſaltem valdè mixtum amorem, & conſequenter animam à Deo mediaret, & ad multiplicitatem traheret; nam quale eſt obiectum, talis eſt amor indè reſultans; quandò objectum eſt naturale & ſenſuale, talis eſt etiam amor illius, quandò objectum eſt ſupernaturale & divinum, illi correſpondet amor illius; quocircà Mariam amans anima ad hoc debet benè attendere, ut ſuum ergà illam amorem paulatim magis, ac magis purificet, quatenus eam puriſſimo amore proſequatur, pro ut in Deo nobiliſſimè, & perfectiſſimè eſt amabilis, & de facto à beatis & ipſo Chriſto & Deo diligitur.

Contemplari Mariam extra Deum minus perfectum.

Quomodò Beati Mariam diligant.

Id quod ut meliùs in praxim redigatur, bonum erit intelligere, quâ de cauſa Mater amabilis ſit magis unita Deo, divinâ Eſſentiâ magis irradiata, ac plus de attributis & perfectionibus divinis participet, quam ulli, etiam maximi ſancti, vel Spiritus Angelici; nempè, eo quod à Deo ſit dignificata, ut in utero ſuo virginali ſuſciperet æternum Verbum Patris, quod novem in eâ menſibus requieſcens, eius naturam, corpus & animam ità divinizavit, adeò Deificavit, ità penetravit, ità totaliter in ſe traxit, ſibi univit, transformavit, & in ſe convertit per indiſſolubilem ſui ergà ipſam, & ipſius reciproci ergà ſe amoris unitivi nexum; ut anima devota eam ut unam cum Deo, & in Deo convenientiſſimè apprehendere poſſit pro obiecto ſuæ amoroſæ contemplationis, unitivi amoris, ac tranquillæ fruitionis, atque hoc ſenſu vivere Marianè in Maria propter Mariam, & ſimul divinè in Deo propter Deum.

Maria pluſquam alij Sancti Deo vnitur.

Eam vt vnam cum Deo oportet contemplari.

Ad hoc pia anima multum allicitur, & confortatur, quandò Deus illam dignatur irradiare aliquo lumine, quō fidei oculo illuminato utcumquè videat, & agnoſcat excellentiam, ineffabilem ſublimitatem, potentiam, auctoritatem, quibus Deus Matrem ſuam cohoneſtavit, & omnium ſuarum gratiarum, divinorum chariſmatum, miſerationum conſtituit diſpenſatricem; quam etiam tanquam ſuam Matrem divinis ſuis perfectionibus veſtivit, ſuæque Eſſentiæ ità univit, ut animæ amanti appareat quaſi quid unum cum Deo: quæ omnia ità decebant, ut daretur aliqua proportio inter Matrem & filium: ideò pia anima ſibi non perſuadet, quod in Matre amabili reperiatur ſimplex unio cum divinâ Eſſentiâ, qualis eſt in alijs ſanctis, ſed conformiter interno lumini à Deo ſibi immiſſo, quodam alio modo ineffabili Mater amabilis eſt unum cum Deo, tota Deificata, ità ut aliquo ſenſu poſſit nominari, & ſit Dea, utpotè cum per gratiam eſſe videa-

excellentia Mariæ.

Maria quaſi vnum cum Deo.

Digitized by Google

quaſi Dea per gratiam. videatur id quod Deus eſt per naturam; & verò ſi Sanctis dicatur, ego dixi, *Dij eſtis, & filij Excelſi omnes*, quantò magis Matri amabili convenit certo ſenſu dici & eſſe Deam? *Pſalm. 80. 6.*

CAPUT X.

Aliquæ animæ magis excitantur ad vitam Marianam in Mariâ per internas illuminationes circà eius excellentias, gratias, prærogativas &c. undè mirabilis in illis ergà eam excreſcit amor.

NOnnullæ piæ Animæ adhuc magis alliciuntur, & exſtimulantur ad vitam Marianam in Mariâ, propter Mariam, per alias internas illuſtrationes circà eius eminentiam; ſiquidem Dei bonitas ſubindè dignatur illis magis & magis manifeſtare magnitudinem, ſublimitatem, potentiam, maieſtatem huius amabiliſſimæ Matris; ſimiliter incomprehenſibilem & prorſus ineffabilem amorem Dei ergà illam, ex cuius amoris impulſu Deus, ex divini ſui cordis penetralibus hauſit & Matri infudit tantam ſuperabundantiam innumerabilium gratiarum, privilegiorum, & prærogativarum, vt ei nihil ultrà dare poſſet, nec eam facere maiorem, pulchriorem, ſublimiorem, excellentiorem, digniorem, quam eam fecit; atque hoc ſenſu Deus per ſuam omnipotentiam, ſapientiam & Bonitatem, non poterat creare nobiliorem, puriorem, perfectiorem, aut digniorem creaturam, quam ſit hæc eius & noſtra ſuperamabilis Mater.

Prærogativæ Mariæ. *Non poteſt à Deo magis perfici.*

Tunc hæ animæ etiam intelligunt, quomodò Deus incredibili huius amabiliſſimæ Matris amore captus, ſe totum effuderit, eamque ſeipſo, & divinis ſuis perfectionibus in tantum repleverit, quantum pura creatura capere poterat; prætereà ſuaviſſima hæc Mater fideliſſimâ ſuâ coöperatione divinis iſtis gratijs ſibi infuſis de momento in momentum adæquatè reſpondendo adeò profecit, vt ne vel in minimo defecerit, ſed clariſſimâ rerum divinarum notitiâ illuſtrata & ardentiſſimo Dei amore ſuccenſa tranſcenderit in perfectione omnes Angelicos choros;

Eſt plena Dei perfectionibus. *Adæquatè cooperata divinis gratijs.*

Talibus animabus divinæ illuminationis radius aliquandò revelat, Deum magis ſibi complacere, maioreſque delicias percipere ex hac excellentiſſimâ Matre ſolâ, quam ex omnibus Sanctis ſimul, & conſequenter, maiori ergà eam ſolam ferri amore, quàm ergà omnes Electos ſimul.

Eſt Deo gratior, quam omnes Sancti ſimul.

Ex his & ſimilibus claris notitijs & internis circà excellentias Marianas illuminationibus, continuò magis ac magis in his animabus accreſcit æſtima-

Digitized by Google

æſtimatio, reverentia & amor ergà Matrem amabilem cum magnâ ſtabilitate, ſimplicitate & puritate; adeò ut earum mens ab illâ videatur inſeparabilis, & cor earum ardenti illius amore ſaucium; quo fit, ut illæ animæ ſubindè, quâdam quaſi vi, in altum evehantur, & in amoris exceſſu abſorbeantur; eò quod nova quædam manifeſtatio mirabilium perfectionum à Deo in Mariâ reconditarum, exceſſivi & inexplicabilis, Dei ergà illam amoris, &c. animas illas attrahat ad profundam, vel ſublimem admirationem, quâ fit, ut eam contemplentur mente illuminatâ, & ſuaviſſimo amoris ardore ſuccenſâ; ibi manent quaſi abſorptæ non potentes mirabilia illa comprehendere, quæ tunc illis manifeſtantur.

Quibus foveatur vita Mariana.

Ejus amor.

Verùm amor per hæc necdùm ſatisfactus, frequenter quaſi ebullit ex intimo cordis, ut quaſi anima clamet præ admiratione, & inveniat aliquas dictiones, quibus magnificentiam, excellentiam & dignitatem hujus Matris ſuperamabilis poſſit notificare, vel laudare, benedicere, magnificare, exaltare illam, quam tàm ardenter & ſuaviter adamat; pro ut ſolet demens amator; qui neſcit, quid excogitare, fingere vel adinvenire, ut dilectam ſuam laudet, magnificet, & exaltet.

Teneerrimus amor ergà Mariam.

CAPUT XI.

Aliæ operationes amoris ergà Mariam, cum gaudio de ejus excellentijs, & ſuaviſſimo nomine; cum quiete, reſpiratione, & vitâ in Mariâ; quo ſenſu anima vivat in Mariâ, & ſimul in Deo; & quomodò in ipſâ liquefiat, eique uniatur.

HInc etiam venit, ut tales animæ vix ad momentum hujus Matris amabilis poſſint oblivisci, non magis, quàm poſſint oblivisci Dei ſui ubique præſentis: ſubindè etiam præ amoris teneritudine videntur ſeſe perdere in hac Matre, in ipſâ liquefieri, & quaſi abſorberi; ſiquidem per fortem illum & ſuavem, ferventem ſimul & intimum amorem, deveniunt in profundam ſui, omniumque creaturarum oblivionem.

Aliquandò ſentiunt magnum gaudium, jucunditatem, & mentis jubilationem, conſiderando ſuperdulciſſimam ſuam Matrem tàm potentem, in tantâ majeſtate, ità exaltatam, honoratam, & à Deo tantoperè dilectam; ità ut neſciant, quid faciant, vel dicant, quatenùs de his Deo gratias agant, ac ipſam & Deum laudent, benedicant, proportionaliter ad internas

Gaudium cum jubilo in Mariâ.

Digitized by Google

internas illuminationes & notitias ſibi pro tunc conceſſas; porrò ſe ad debitè laudandum & amandum inſufficientes ſentientes, manent in intimo ſilentio, & amoroſâ quiete; nam intellectus quaſi deficiens præ admiratione de magnitudine tantorum myſteriorum captum ſuum ſuperantium, ſuccumbit quaſi victus, ſinendo voluntatem ſolam in amando occupatam.

Amor deficiens ad Mariam.

Anima Mariam amans aliquandò percipit quaſi ſuam reſpirationem & vitam in Mariâ, cum ſumma animi dulcedine in audiendo, nominando, vel ſcribendo, vel ſolummodò cogitando ſuaviſſimum nomen Mariæ, quaſi cum jubilo & exultatione ſpiritûs & actuali cordis oblatione maternis ejus manibus, ut ibi mundetur ab omnibus Deo vel ipſi diſplicentibus: tunc comitantur aliquæ innocentes ebullitiones amoris ergà illam; & cum vulgò dicatur, *anima plus eſt, ubi amat, quàm ubi animat*, hæc anima tunc magis videtur eſſe in Mariâ juxtà & in Deo, quàm ubi naturaliter vivit; eò quòd Mariam juxtà Deum tàm ſincerè & tenerè diligat; atque hoc ſenſu vivit amoroſè in Mariâ juxtà, ſeu ſimul & in Deo; quo etiam ſenſu intelligi debet fruitio Mariæ in animâ, liquefactio animæ in Mariâ, unið animæ cum Mariâ, vel etiam transformatio in Mariam; nimirùm, in quantum amor ad ſimilia tendit & animam inclinat; nam amoris indoles eſt tendere ad unionem cùm amato, prout experientia docet, etiam ſenſualem vel carnalem amorem ſuas operationes habere in hominibus ſenſualibus & carnalibus.

Vita in Mariâ.

Quo ſenſu anima vivat in Mariâ, & in Deo.

Liquefactio & unio in Mariâ.

CAPUT XII.

Vita Mariana in Mariâ propter Mariam poteſt ſimpliciter & intimè in ſpiritu agi; ſicut vita divina in Deo propter Deum, præſertim in intima oratione; quaſi Deus, Maria, & anima tantùm eſſent unum: id quod aliqui myſtici malè intelligunt, dùm hæc vita à divino ſpiritu procedit, uti contigit in multis Sanctis.

Vita Mariana exercetur cum ſimplicitate.

TAles animæ Mariam amantes aliquandò ulteriùs circà hanc vitam Marianam experiri videntur, quod illa in Mariâ, propter Mariam, per Mariam, & ſimul in Deo, propter Deum, & per Deum, ferè cum tantâ ſimplicitate, intimitate, & abſtractione ſpiritûs, poſſit exerceri, quàm in ſimplici divinitate ſolâ; & de facto ſubindè quaſi ultrò ſic exercetur; ità ut pro illo tempore, exiguæ imaginationes de perſonâ Mariæ

Digitized by Google

in mente remaneant; eò quod tùm ſpiritus ſciat eam ità Deo unitam aſpicere, quaſi ipſa & Deus in unum fluerent, ſicque unum ſimplex contemplationis & dilectionis objectum fierent in ſimplicitate ſpiritûs, pro ut adhuc alibi in ſimili dictum eſt.

Conſequenter memoria, intellectus & voluntas tunc ità quietè, ſimpliciter, & intimè occupantur in Mariâ, & ſimul in Deo, ut anima vix poſſit deprehendere, quo modo & qualiter operationes iſtæ tunc in ſe tranſeant; confusè tamen benè ſcit, & ſentit, memoriam occupari ſimpliciſſimâ aliquâ reminiſcentiâ Dei & Mariæ, intellectum nudâ, clarâ & purâ notitiâ Dei præſentis, & ſimul Mariæ in Deo, voluntatem verò valdè tranquillâ, intimâ, ſuavi, tenerâ, & ſimul ſpirituali dilectione Dei & Mariæ in Deo, ac amoroſâ ad Deum & Mariam in Deo adhæſione: dixi ſpirituali dilectione, eò quod amor tunc maximè videatur ſcintillare & operari in ſupremâ parte animæ cum abſtractione à parte inferiore, vel potentijs ſenſitivis, adeòque eſt magis proportionatus ad intimam illiquefactionem, abſorptionem in Deo & in Mariâ, & unionem cum Deo, & ſimul cum Mariâ. *Quo modo?* *Intima occupatio in Deo & Mariâ.*

Nam quandò potentiæ animæ tàm nobiliter, & perfectè occupantur in memoriâ, notitiâ & amore Dei & Mariæ in Deo, tunc ſequitur tàm intima & firma adhæſio totius animæ ad Deum & Mariam, ut per amoroſam liquefactionem, ſeu influxum amoris, videatur fieri quid unum cum Deo & Maria, quaſi hi tres, Deus, Maria & anima in unum liquefierent; atque hoc videtur extremum & ſupremum, ad quod anima pertingere poteſt in hâc vitâ Marianâ, eſtque principalis operatio hujus exercitij & ſpiritûs amoris ergà Mariam. *Intima adhæſio ad Deum & Mariam.* *Summa perfectio vitæ Marianæ.*

Neque hinc oritur aliquod impedimentum in vita ſpirituali (uti anteà dictum eſt) ſed potiùs adjumentum; ſiquidem Maria ſervit pro medio & firmiori vinculo unionis animæ cum Deo; ſicque animæ amanti ſuppeditat fomentum & auxilium, quo ſtabiliùs, conſtantiùs & perfectiùs poſſit aſſequi, & continuare vitam contemplativam, unitivam & transformativam in Deo; quamquàm fortaſſis multi ſpiritus myſtici & contemplativi ſint alterius opinionis, ſibi perſuadentes hanc vitam Marianam in Mariâ, eſſe impedimentum perfectiſſimæ unionis cum Deo, intimæ quietis in Deo, vitæ myſticæ, eſſentialis fruitionis Dei, &c. eò quod iſtam vitam Marianam imaginentur nimis rudem, activam & multiplicem, nec percipiant conveniențiſſimum & ſimpliciſſimum modum, quo exercenda eſt, nempè, purè in ſpiritu, vel refluenter in Deo, & per myſticam operationem & directionem Sancti Spiritûs. *Vita Mariana non eſt impedimentum divinæ.* *Error Myſticorum circà vitam Marianam.*

Et verò, licet iſta contemplatio Mariæ, teneræ inclinationes, & variæ operationes amoris ergà Mariam ſæpè videantur valdè permixtæ cum

 poten-

Tener amor Mariæ non contrariatur perfectioni.

potentijs ſenſitivis, earumque operationibus; tamen quandò quaſi ab intùs & ſponte exercentur per operationem & directionem divini Spiritûs, per illas anima non impeditur ab immediatâ adhæſione vel ûnione cum ſummo Bono, & ſimplici Dei eſſentiâ in ſe; quinimò indè fit, ut faciliùs in Deum trahatur, & ſtabiliùs in eo occupetur; addo, quod *omnia iſta* in animâ *operetur unus atque idem Spiritus* Sanctus, qui eſt Auctor iſtius vitæ Marianæ, quæ finaliter terminatur in vitam perfectè myſticam.

1. Cor. 12.

Spiritus Sanctus eſt auctor vitæ Marianæ.

Neque hæc cuipiam mira videri debent, ſi reflectamus ad vitas Sanctorum, qui in vitâ myſticâ excelluerunt, & tamen etiam in ſuis raptibus & exſtaſibus, tenerrimo ferebantur amore ergà Matrem amabilem; nec eſt dubium, quin noverint iſtum amorem exercere ſinè imperfectione, manentes toti introverſi in unitate Dei, vel potiùs à divino Spiritu acti & directi, uti notoriè contigit in Sancto Bernardo, in Sanctâ Mariâ Magdalenâ de Pazzi, & innumeris alijs: ad quæ dicti ſpiritus myſtici deberent attendere, antequàm noſtram vitam Marianam dijudicent.

Exempla vitæ Marianæ in multis Sanctis.

CAPUT XIII.

Sicut Spiritus Ieſu operatur in animâ amorem ergà Deum Patrem, ità & ad amabilem Matrem, uti contigit in Ieſu; cujus ſpiritus facit animam vivere divinè in Deo propter Deum, & ſimul marianè in Mariâ propter Mariam, abſque impedimento perfectæ unionis myſticæ.

Gal. 4. 6.

PRo majori declaratione hîc ſervire poſſunt verba Apoſtoli, *quia eſtis filij*, Dei, *miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pater*; hinc enim intelligimus Spiritum Ieſu manere in filijs Dei, ibique operari tenerum amorem ergà Deum Patrem, juxtà eorum capacitatem; ſicut autem Spiritus Ieſu in Ieſu operatus eſt filialem amorem ergà æternum Patrem, ſic etiam in ipſo produxit filiales affectus, amoroſos amplexus, alioſque actus dilectionis ergà ſuam chariſſimam Matrem, pro ut etiam per totam æternitatem in ipſo producet; quid ergò foret mirandum, ſi, quemadmodùm Spiritus Ieſu in cordibus filiorum Dei clamat *Abba Pater*, id eſt, teneros amoris affectus operatur ergà Patrem Ieſu, ſic etiam in ijſdem cordibus clamaret *Ave Mater*, ſeu operaretur filiales affectiones, reverentiales & amoroſas inclinationes, allocutiones, actiones ergà Matrem amabilem; ſicuti fuit in Ieſu, durante ejus vitâ, & erit per totam æternitatem.

Spiritus Chriſti operatur amorem ergà Deum, & ergà Mariam.

Etiam in pijs animabus.

Itaque

Digitized by Google

Itaque ad animas Mariam amantes dicere liceat; *quia eſtis filij Mariæ, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Ave Mater*, id eſt, excitantem in illis filiales affectiones, amoroſas inclinationes, amicabiles acceſſus, innocentes & teneros amplexus, & varias tenerrimi amoris operationes ergà Mariam, ut Matrem amabiliſſimam, & digniſſimam; eſt enim unus atque idem Spiritus Ieſu, qui operatur omnia in iſtis animabus, nempè ſimul amorem divinum & Marianum; ſinè impedimento alterutrius; & conſequenter, ſicut tales animæ per amorem Dei vivunt vitam divinam in Deo, propter Deum; ità per eumdem ſpiritum amoris ſe extendentem ſimul ad Matrem amabilem, etiam vivunt vitam marianam in Mariâ propter Mariam; nam unus atque idem ſpiritus operatur in illis ſimilia; idem Spiritus Ieſu facit illas amare Deum Patrem, & Virginem Matrem, ac vivere in Deo propter Deum, & in Mariâ propter Mariam, divinè & ſimul marianè: ſolummodò advertite, quomodò hoc in Chriſto fieri potuerit abſque præjudicio ſummæ perfectionis, & facilè percipietis, quomodò id in aliquibus ſpecialibus Mariæ filijs poſſit fieri ſinè præjudicio vitæ contemplativæ vel perfectæ. Quo modo? Gal. 4. 6. Operatur vitam divinam & Marianam. Sicut in Chriſto.

Hoc videtur ſatis intelligibile; nam ubi Spiritus Chriſti vivit, & inhabitat, quid eſt mirum, quod habeat diverſas operationes tàm contemplationis & amoris Dei, quàm contemplationis & amoris Mariæ, & plures alias, atque has omnes in animâ operatur unus, atque idem Spiritus Ieſu, pro ut vult, & ſecundùm cujuſque capacitatem; quocircà nemini deinceps id mirum videatur; cum hoc videatur, & de facto in aliquibus ſic fieri conſtet.

CAPUT XIV.

Spiritus Mariæ dirigit, poſſidet, operatur & vivificat aliquas animas; quo ſenſu & modo; tunc illæ vivunt per ſpiritum Mariæ, ipſarum vita eſt Maria, & quaſi transformantur in Mariam.

Videtur aliquibus Mariæ filijs, ſivè per conſuetudinem eam ſic in mente habendi ut Matrem amabilem, ſivè per frequentes amoroſas operationes & directiones Spiritûs Ieſu ergà hanc ſuaviſſimam Matrem, quod ſeſe ab ejus ſpiritu etiam ſinant regi, formari, poſſideri, animari; ità ut ab eâ ut filioli chariſſimi videantur educari, ejus indolem imbibere, ejus ſpiritu indui, atque hoc ſenſu in eam transformari, ejuſque ſpiritus in eis vivere, & omnia operari. Spiritus Mariæ in aliquibus vivit.

Quo ſenſu? Quod hoc ſenſu poteſt intelligi: indubiè Spiritus Ieſu ineffabiliter perfectiùs poſſedit, operatus eſt, & vivificavit Matrem amabilem, quàm ullam aliam creaturam: hic Spiritus Ieſu in illâ manens, ipſe fecit ejus opera, in nullo deficiente ejus coöperatione; ſic ut Spiritus Ieſu per fideliſſimam ejus coöperationem, factus ſit ejus ſpiritus, de quo ipſa ait, *ſpiritus meus ſuper mel dulcis*; hic ejus ſpiritus in eâ emicuit in omnis generis virtutibus, & omnia in eâ cum eâ operatus eſt.

Quis ſit Spiritus Mariæ.

Quandò autem ipſa dignatur aliquos filiolos formare, eis procurat ſuum ſpiritum, id eſt Spiritum Ieſu operantem ſuas in eis virtutes, ſuam indolem, ſuum agendi modum, ſuas inclinationes; quo fit ut illi videantur in Mariam transformari, & ſpiritus Mariæ in illis vivere, vel potiùs Spiritus Ieſu vivit, & operatur in illis, ſicut in Mariâ; ſed quid mirum, ſi hi filij chariſſimi cum ſuâ Matre amabili fiant unanimes, ejuſque imbibant indolem? hoc proprium eſt bonis filijs, hoc intendunt amantiſſimæ Matres.

Maria procurat aliquibus ſuum Spiritum.

Tunc vita Mariæ manifeſtatur in illis, juxtà, & vita Ieſu; tunc fit, ut, ſicut dixit Apoſtolus, *vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, id eſt, Spiritus Chriſti vivit in me, etiam tales videantur poſſe dicere, vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Maria; eò quod nimirùm in eis exſtinctum ſit, quidquid illi Spiritui Mariæ contrariatur, & quidquid illi eſt conforme, vivat in illis; imò Spiritus Mariæ, ſenſu dato, videtur eos dirigere, poſſidere, vivificare, quaſi Spiritus Mariæ cum Spiritu Ieſu, ſeu unus & idem Spiritus Ieſu & Mariæ operaretur in illis omnia eorum opera, eos animaret, in omnibus dirigeret, ſicut Mariam animavit, direxit, & omnia ejus opera fecit: atque hoc ſenſu, jam ipſi non vivunt, ſed Maria vivit in illis, eorum potentias agendo, inclinando, dirigendo, quò ſic eos novo modo faciat vivere in Deo; ſicque ipſis vivere Maria eſt, quam tunc meritò ſalutant, *vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve.*

Maria vivit in aliquibus ſicut Chriſtus.

Maria eſt eorum vita.

Atque hæc ſufficiant, ut piæ animæ inſtruantur in vitâ Deiformi, ac divinâ in Deo propter Deum, & ſimul Marianâ in Mariâ propter Mariam, quam in nobis perficere dignetur, qui dedit velle, per interceſſionem Matris amabilis, Ieſus benedictus in ſecula. Amen.

Finis Tractatus tertij.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS DE ADORATIONE DEI IN SPIRITV & VERITATE.

PROLOGVS.

QVamvis in Tractatu ſecundo ſufficienter oſtenderimus, quomodò & qualiter anima Deum amans in Deo vivere poſſit & debeat; tamen fore bonum mihi viſum eſt, ſi hîc adderem Tractatum de adoratione Dei in Spiritu & Veritate, *quaſi pro continuatione & complemento materiæ; quippè hæc adoratio nihil eſt aliud, quàm* vita quædam divina in Deo. Tractatus de adoratione eſt complementum vitæ divinæ.

Hîc invenietis varia exercitia ſpiritûs in Deo; quomodò animæ Deum amantes Dei Spiritu principali acti, paulatim magis & magis proficiant in verâ libertate filiorum Dei, quam ubi ſunt adepti, ecce nôrunt omnibus creaturis uti in Deo & ſecundùm directionem Dei; nôrunt etiam potentias ſenſitivas permittere agere, conformiter ad placitum, vel permiſſionem divini Spiritûs; ità ut paulatim tendant & pertingant ad aliquam perfectionem primi ſtatûs innocentiæ; quô fit, ut in illis, potentiæ ſenſitivæ in ſuis operationibus ſubjiciantur directioni potentiarum rationalium, & potentiæ Libertas filiorum Dei.

ratio-

Digitized by Google

rationales imperio & directioni divini Spiritûs; tunc tales animæ inveniunt, contemplantur, fruuntur, amant Deum in omnibus creaturis, & omnes creaturas in Deo; idcircò nullæ creaturæ, nec operationes ſenſuum, aut aliarum potentiarum, tàm ſenſitivarum, quàm rationalium, cum tali ad directionem divini Spiritûs ſubordinatione, exercitæ tunc impediunt immediatum, reverentialem, vel amoroſum ad Deum recurſum vel unionem, quin potiùs eò conducunt, & juvant; atque hoc modo tales ſunt veri adoratores, & *continuò* adorant Deum in Spiritu & Veritate, *quod nihil eſt aliud, quàm Deiformiter & divinè vivere in Deo, uti ſatis clarè patere videtur.*

Inveniunt Deum in omnibus & omnia in Deo.

Ioan. 4.

Sunt veri adoratores.

Ad quid ſerviat hic Tractatus.

Conſequenter facile colligere eſt, hunc Tractatum multùm poſſe ſervire, ut animas Deum amantes in divinâ vitâ in Deo *promoveat, confortet, & foveat, cum nihil aliud contineat, quàm novas inſtructiones, probatiſſimas praxes & modos, totum hominem inferiorem & ſuperiorem Deo ſubjiciendi, in Deo reverentialiter, ac amoroſè occupandi, ſicque in Deo ſolo vivendi; quocircà hunc Tractatum præcedentis Tractatûs complementum meritò dixero, cujus utiliſſimam ac ſuaviſſimam praxim pijs animabus imprimere dignetur Spiritus Sanctus, per interceſſionem Matris amabilis. Amen.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

Homo ad Deum creatus, ad eum debet tendere, maximè per exercitia Spiritûs, præſertim adorando Deum in ſpiritu & veritate; quid ſit ſic adorare Deum.

SCimus nos eſſe creatos ad Deum, tamquàm ad finem noſtrum ultimum, & centrum, in quo æternaliter requieſcamus, & gaudio beatifico perfruamur; undè ait Auguſtinus, *creaſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te:* ad hanc ergò in Deo quietem oportet nos totis viribus tendere; convenientiſſimè autem tenditur, & citiſſimè pertingitur per exercitia ſpiritûs, per actus fidei, ſpei, & Charitatis, per occupationes amoroſas in Deo, extrà ſtrepitum creaturarum, cum abſtractione à phantaſmatibus: Salvator inter alia colloquia cum muliere Samaritanâ dicebat, *venit hora, & nunc eſt, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate*, & inſinuans tales facillimè Deum invenire, addebat, *nam & Pater tales quærit, qui adorent eum*, cujus rationem ſubjungens ait, *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate, oportet adorare*, quaſi diceret, cum Deus ſit Spiritus, quærit ſibi ſimiles, ſivè homines ſpirituales, id eſt, in carne quaſi ſinè carne viventes, qui carni & mundo mortui, ſpiritu vivunt, & ſatagunt Deum adorare in ſpiritu.

Deus eſt ultimus finis hominis.

S. Aug.

Veri adoratores.

Joan. 4. 23.

Ibid.

Deo gratiſſimi.

At quid eſt adorare Deum in ſpiritu? *oratio & elevatio mentis in Deum;* qui itàque aſſueverunt elevatâ in Deum mente vivere, & ſic *ſpiritu vivere, ſpiritu & ambulare*, illi ſunt *veri adoratores;* quales quærit Pater æternus; tales quippè, utpotè ſpiritualizati, ſunt Deo ſimiliores, adeoque chariores, undè etiam fit, quod, quia continuò conantur adhærere Deo, etiam unus ſpiritus ſint cum eo.

Quid ſit Deum adorare in Spiritu.

Gal. 5. 25.

Porrò adoratio Dei in ſpiritu aliquandò fit cum magnâ, eâque paſſivâ magis, quàm activâ ſimplicitate, ſeu excluſione omnium rerum corporearum, phantaſmatum, imaginum: de quâ dicitur, *Deus invenitur ab his, qui* in ſimplicitate cordis *quærunt illum;* ad ſic quærendùm Deum exhortans nos Sapiens, ait, *ſentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum:* requiritur ergò ſimplificatio totius hominis, ſeu excluſio omnium ſpecierum rerum creaturarum, ut propriè adoremus Deum in ſpiritu; qualis maximè procurandâ eſt tempore orationis internæ; extrà quam etiam Deus quærendus eſt in ſimplicitate cordis; cum excluſione omnium non Deiformium, ſeu cum ſuſpenſione ſenſuum, & aliarum potentiarum ab opera-

Adoratio Dei in ſimplicitate.

Sap. 6. 13.

Sap. 1. 1.

Quid ſit quærere Deum in ſimplicitate.

Quid ſit illâ ſimplicitas.

Digitized by Google

quaſi Dea per gratiam. videatur id quod Deus eſt per naturam; & verò ſi Sanctis dicatur, ego *Pſalm. 80. 6.* dixi, *Dij eſtis, & filij Excelſi omnes*, quantò magis Matri amabili convenit certo ſenſu dici & eſſe Deam?

CAPUT X.

Aliquæ animæ magis excitantur ad vitam Marianam in Mariâ per internas illuminationes circà eius excellentias, gratias, prærogativas &c. undè mirabilis in illis ergà eam excreſcit amor.

NOnnullæ piæ Animæ adhuc magis alliciuntur, & exſtimulantur ad vitam Marianam in Mariâ, propter Mariam, per alias internas illuſtrationes circà eius eminentiam; ſiquidem Dei bonitas ſubindè dignatur illis magis & magis manifeſtare magnitudinem, ſublimitatem, potentiam, maieſtatem huius amabiliſſimæ Matris; ſimiliter incomprehenſibilem & *Prærogativæ Mariæ.* prorſus ineffabilem amorem Dei ergà illam, ex cuius amoris impulſu Deus, ex divini ſui cordis penetralibus hauſit & Matri infudit tantam ſuperabundantiam innumerabilium gratiarum, privilegiorum, & prærogativarum, vt ei nihil ultrà dare poſſet, nec eam facere maiorem, pulchriorem, ſublimiorem, excellentiorem, digniorem, quam eam fecit; atque hoc ſenſu Deus per ſuam omnipotentiam, ſapientiam & Bonitatem, non poterat crea- *Non poteſt à Deo magis perfici.* re nobiliorem, puriorem, perfectiorem, aut digniorem creaturam, quam ſit hæc eius & noſtra ſuperamabilis Mater.

Tunc hæ animæ etiam intelligunt, quomodò Deus incredibili huius amabiliſſimæ Matris amore captus, ſe totum effuderit, eamque ſeipſo, & *Eſt plena Dei perfectionibus.* divinis ſuis perfectionibus in tantum repleverit, quantum pura creatura capere poterat; prætereà ſuaviſſima hæc Mater fideliſſimâ ſuâ coöperatione divinis iſtis gratijs ſibi infuſis de momento in momentum adæquatè reſ- *Adæquatè cooperata divinis gratijs.* pondendo adeò profecit, vt ne vel in minimo defecerit, ſed clariſſimâ rerum divinarum notitiâ illuſtrata & ardentiſſimo Dei amore ſuccenſa tranſcenderit in perfectione omnes Angelicos choros;

Talibus animabus divinæ illuminationis radius aliquandò revelat, Deum magis ſibi complacere, maioreſque delicias percipere ex hac excellentiſſimâ *Eſt Deo gratior, quam omnes Sancti ſimul.* Matre ſolâ, quam ex omnibus Sanctis ſimul, & conſequenter, maiori ergà eam ſolam ferri amore, quàm ergà omnes Electos ſimul.

Ex his & ſimilibus claris notitijs & internis circà excellentias Marianas illuminationibus, continuò magis ac magis in his animabus accreſcit æſtima-

Digitized by Google

æſtimatio, reverentia & amor ergà Matrem amabilem cum magnâ ſtabilitate, ſimplicitate & puritate; adeò ut earum mens ab illâ videatur inſeparabilis, & cor earum ardenti illius amore ſaucium; quo fit, ut illæ animæ ſubindè, quâdam quaſi vi, in altum evehantur, & in amoris exceſſu abſorbeantur; eò quod nova quædam manifeſtatio mirabilium perfectionum à Deo in Mariâ reconditarum, exceſſivi & inexplicabilis, Dei ergà illam amoris, &c. animas illas attrahat ad profundam, vel ſublimem admirationem, quâ fit, ut eam contemplentur mente illuminatâ, & ſuaviſſimo amoris ardore ſuccensâ; ibi manent quaſi abſorptæ non potentes mirabilia illa comprehendere, quæ tunc illis manifeſtantur.

Quibus foveatur vita Mariana.

Ejus amor.

Verùm amor per hæc necdùm ſatisfactus, frequenter quaſi ebullit ex intimo cordis, ut quaſi anima clamet præ admiratione, & inveniat aliquas dictiones, quibus magnificentiam, excellentiam & dignitatem hujus Matris ſuperamabilis poſſit notificare, vel laudare, benedicere, magnificare, exaltare illam, quam tàm ardenter & ſuaviter adamat; pro ut ſolet demens amator; qui neſcit, quid excogitare, fingere vel adinvenire, ut dilectam ſuam laudet, magnificet, & exaltet.

Tenerrimus amor ergà Mariam.

CAPUT XI.

Aliæ operationes amoris ergà Mariam, cum gaudio de ejus excellentijs, & ſuaviſſimo nomine; cum quiete, reſpiratione, & vitâ in Mariâ; quo ſenſu anima vivat in Mariâ, & ſimul in Deo; & quomodò in ipſâ liqueſiat, eique uniatur.

HInc etiam venit, ut tales animæ vix ad momentum hujus Matris amabilis poſſint oblivisci, non magis, quàm poſſint oblivisci Dei ſui ubique præſentis: ſubindè etiam præ amoris teneritudine videntur ſeſe perdere in hac Matre, in ipsâ liquefieri, & quaſi abſorberi; ſiquidem per fortem illum & ſuavem, ferventem ſimul & intimum amorem, deveniunt in profundam ſui, omniumque creaturarum oblivionem.

Aliquandò ſentiunt magnum gaudium, jucunditatem, & mentis jubilationem, conſiderando ſuperdulciſſimam ſuam Matrem tàm potentem, in tantâ majeſtate, ità exaltatam, honoratam, & à Deo tantoperè dilectam; ità ut neſciant, quid faciant, vel dicant, quatenùs de his Deo gratias agant, ac ipſam & Deum laudent, benedicant, proportionaliter ad

Gaudium cum jubilo in Mariâ.

 internas

Digitized by Google

internas illuminationes & notitias ſibi pro tunc conceſſas; porrò ſe ad debitè laudandum & amandum inſufficientes ſentientes, manent in intimo ſilentio, & amoroſâ quiete; nam intellectus quaſi deficiens præ admiratione de magnitudine tantorum myſteriorum captum ſuum ſuperantium, ſuccumbit quaſi victus, ſinendo voluntatem ſolam in amando occupatam.

Amor deficiens ad Mariam.

Vita in Mariâ.

Anima Mariam amans aliquandò percipit quaſi ſuam reſpirationem & vitam in Mariâ, cum ſumma animi dulcedine in audiendo, nominando, vel ſcribendo, vel ſolummodò cogitando ſuaviſſimum nomen Mariæ, quaſi cum jubilo & exultatione ſpiritûs & actuali cordis oblatione maternis ejus manibus, ut ibi mundetur ab omnibus Deo vel ipſi diſplicentibus: tunc comitantur aliquæ innocentes ebullitiones amoris ergà illam; & cum vulgò dicatur, *anima plus eſt, ubi amat, quàm ubi animat*, hæc anima tunc magis videtur eſſe in Mariá juxtà & in Deo, quàm ubi naturaliter vivit; eò quòd Mariam juxtà Deum tàm ſincerè & tenerè diligat; atque hoc ſenſu vivit amoroſè in Mariâ juxtà, ſeu ſimul & in Deo; quo etiam ſenſu intelligi debet fruitio Mariæ in animâ, liquefactio animæ in Mariâ, unió animæ cum Mariâ, vel etiam transformatio in Mariam; nimirùm, in quantum amor ad ſimilia tendit & animam inclinat; nam amoris indoles eſt tendere ad unionem cùm amato, prout experientia docet, etiam ſenſualem vel carnalem amorem ſuas operationes habere in hominibus ſenſualibus & carnalibus.

Quo ſenſu anima vivat in Mariâ, & in Deo.

Liquefactio & unio in Mariâ.

CAPUT XII.

Vita Mariana in Mariâ propter Mariam poteſt ſimpliciter & intimè in ſpiritu agi; ſicut vita divina in Deo propter Deum, præſertim in intima oratione; quaſi Deus, Maria, & anima tantùm eſſent unum: id quod aliqui myſtici malè intelligunt, dùm hæc vita à divino ſpiritu procedit, uti contigit in multis Sanctis.

Vita Mariana exercetur cum ſimplicitate.

TAles animæ Mariam amantes aliquandò ulteriùs circà hanc vitam Marianam experiri videntur, quod illa in Mariâ, propter Mariam, per Mariam, & ſimul in Deo, propter Deum, & per Deum, ferè cum tantâ ſimplicitate, intimitate, & abſtractione ſpiritûs, poſſit exerceri, quàm in ſimplici divinitate ſolâ; & de facto ſubindè quaſi ultrò ſic exercetur; ità ut pro illo tempore, exiguæ imaginationes de perſonâ Mariæ

Digitized by Google

in mente remaneant; eò quod tùm ſpiritus ſciat eam ità Deo unitam aſpicere, quaſi ipſa & Deus in unum fluerent, ſicque unum ſimplex contemplationis & dilectionis objectum fierent in ſimplicitate ſpiritûs, pro ut adhuc alibi in ſimili dictum eſt.

Conſequenter memoria, intellectus & voluntas tunc ità quietè, ſimpliciter, & intimè occupantur in Mariâ, & ſimul in Deo, ut anima vix poſſit deprehendere, quo modo & qualiter operationes iſtæ tunc in ſe tranſeant; confusè tamen benè ſcit, & ſentit, memoriam occupari ſimpliciſſimâ aliquâ reminiſcentiâ Dei & Mariæ, intellectum nudâ, clarâ & purâ notitiâ Dei præſentis, & ſimul Mariæ in Deo, voluntatem verò valdè tranquillâ, intimâ, ſuavi, tenerâ, & ſimul ſpirituali dilectione Dei & Mariæ in Deo, ac amoroſâ ad Deum & Mariam in Deo adhæſione: dixi ſpirituali dilectione; eò quod amor tunc maximè videatur ſcintillare & operari in ſupremâ parte animæ cum abſtractione à parte inferiore, vel potentijs ſenſitivis, adeòque eſt magis proportionatus ad intimam illiquefactionem, abſorptionem in Deo & in Mariâ, & unionem cum Deo, & ſimul cum Mariâ.

Quo modo?

Intima occupatio in Deo & Mariâ.

Nam quandò potentiæ animæ tàm nobiliter, & perfectè occupantur in memoriâ, notitiâ & amore Dei & Mariæ in Deo, tunc ſequitur tàm intima & firma adhæſio totius animæ ad Deum & Mariam, ut per amoroſam liquefactionem, ſeu influxum amoris, videatur fieri quid unum cum Deo & Maria, quaſi hi tres, Deus, Maria & anima in unum liquefierent; atque hoc videtur extremum & ſupremum, ad quod anima pertingere poteſt in hâc vitâ Marianâ, eſtque principalis operatio hujus exercitij & ſpiritûs amoris ergà Mariam.

Intima adhæſio ad Deum & Mariam.

Summa perfectio vitæ Marianæ.

Neque hinc oritur aliquod impedimentum in vita ſpirituali (uti anteà dictum eſt) ſed potiùs adjumentum; ſiquidem Maria ſervit pro medio & firmiori vinculo unionis animæ cum Deo; ſicque animæ amanti ſuppeditat fomentum & auxilium, quo ſtabiliùs, conſtantiùs & perfectiùs poſſit aſſequi, & continuare vitam contemplativam, unitivam & transformativam in Deo; quamquàm fortaſſis multi ſpiritus myſtici & contemplativi ſint alterius opinionis, ſibi perſuadentes hanc vitam Marianam in Mariâ, eſſe impedimentum perfectiſſimæ unionis cum Deo, intimæ quietis in Deo, vitæ myſticæ, eſſentialis fruitionis Dei, &c. eò quod iſtam vitam Marianam imaginentur nimis rudem, activam & multiplicem, nec percipiant convenientiſſimum & ſimpliciſſimum modum, quo exercenda eſt, nempè, purè in ſpiritu, vel refluenter in Deo, & per myſticam operationem & directionem Sancti Spiritûs.

Vita Mariana non eſt impedimentum divinæ.

Error Myſticorum circà vitam Marianam.

Et verò, licet iſta contemplatio Mariæ, teneræ inclinationes, & variæ operationes amoris ergà Mariam ſæpè videantur valdè permixtæ cum poten-

Tener amor Mariæ non contrariatur perfectioni.

potentijs ſenſitivis, earumque operationibus; tamen quandò quaſi ab intùs & ſponte exercentur per operationem & directionem divini Spiritûs, per illas anima non impeditur ab immediatâ adhæſione vel ûnione cum ſummo Bono, & ſimplici Dei eſſentiâ in ſe; quinimò indè fit, ut faciliùs in Deum trahatur, & ſtabiliùs in eo occupetur; addo, quod *omnia iſta* in animâ *operetur unus atque idem Spiritus* Sanctus, qui eſt Auctor iſtius vitæ Marianæ, quæ finaliter terminatur in vitam perfectè myſticam.

1. Cor. 12.

Spiritus Sanctus eſt auctor vitæ Marianæ.

Neque hæc cuipiam mira videri debent, ſi reflectamus ad vitas Sanctorum, qui in vitâ myſticâ excelluerunt, & tamen etiam in ſuis raptibus & exſtaſibus, tenerrimo ferebantur amore ergà Matrem amabilem; nec eſt dubium, quin noverint iſtum amorem exercere ſinè imperfectione, manentes toti introverſi in unitate Dei, vel potiùs à divino Spiritu acti & directi, uti notoriè contigit in Sancto Bernardo, in Sanctâ Mariâ Magdalenâ de Pazzi, & innumeris alijs: ad quæ dicti ſpiritus myſtici deberent attendere, antequàm noſtram vitam Marianam dijudicent.

Exempla vitæ Marianæ in multis Sanctis.

CAPUT XIII.

Sicut Spiritus Ieſu operatur in animâ amorem ergà Deum Patrem, ità & ad amabilem Matrem, uti contigit in Ieſu; cujus ſpiritus facit animam vivere divinè in Deo propter Deum, & ſimul marianè in Mariâ propter Mariam, abſque impedimento perfectæ unionis myſticæ.

Gal. 4. 6.

PRo majori declaratione hîc ſervire poſſunt verba Apoſtoli, *quia eſtis filij*, Dei, *miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pater*; hinc enim intelligimus Spiritum Ieſu manere in filijs Dei, ibique operari tenerum amorem ergà Deum Patrem, juxtà eorum capacitatem; ſicut autem Spiritus Ieſu in Ieſu operatus eſt filialem amorem ergà æternum Patrem, ſic etiam in ipſo produxit filiales affectus, amoroſos amplexus, alioſque actus dilectionis ergà ſuam chariſſimam Matrem, prout etiam per totam æternitatem in ipſo producet; quid ergò foret mirandum, ſi, quemadmodùm Spiritus Ieſu in cordibus filiorum Dei clamat *Abba Pater*, id eſt, teneros amoris affectus operatur ergà Patrem Ieſu, ſic etiam in ijſdem cordibus clamaret *Ave Mater*, ſeu operaretur filiales affectiones, reverentiales & amoroſas inclinationes, allocutiones, actiones ergà Matrem amabilem; ſicuti fuit in Ieſu, durante ejus vitâ, & erit per totam æternitatem.

Spiritus Chriſti operatur amorem ergà Deum, & ergà Mariam.

Etiam in pijs animabus.

Itaque

Digitized by Google

Itaque ad animas Mariam amantes dicere liceat; *quia eſtis filij Mariæ, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Ave Mater*, id eſt, excitantem in illis filiales affectiones, amoroſas inclinationes, amicabiles acceſſus, innocentes & teneros amplexus, & varias tenerrimi amoris operationes ergà Mariam, ut Matrem amabiliſſimam, & digniſſimam; eſt enim unus atque idem Spiritus Ieſu, qui operatur omnia in iſtis animabus, nempè ſimul amorem divinum & Marianum; ſinè impedimento alterutrius; & conſequenter, ſicut tales animæ per amorem Dei vivunt vitam divinam in Deo, propter Deum; ità per eumdem ſpiritum amoris ſe extendentem ſimul ad Matrem amabilem, etiam vivunt vitam marianam in Mariâ propter Mariam; nam unus atque idem ſpiritus operatur in illis ſimilia; idem Spiritus Ieſu facit illas amare Deum Patrem, & Virginem Matrem, ac vivere in Deo propter Deum, & in Mariâ propter Mariam, divinè & ſimul marianè: ſolummodò advertite, quomodò hoc in Chriſto fieri potuerit abſque præjudicio ſummæ perfectionis, & facilè percipietis, quomodò id in aliquibus ſpecialibus Mariæ filijs poſſit fieri ſinè præjudicio vitæ contemplativæ vel perfectæ.

Quo modo? Gal. 4. 6.

Operatur vitam divinam & Marianam.

Sicut in Chriſto.

Hoc videtur ſatis intelligibile; nam ubi Spiritus Chriſti vivit, & inhabitat, quid eſt mirum, quod habeat diverſas operationes tàm contemplationis & amoris Dei, quàm contemplationis & amoris Mariæ, & plures alias, atque has omnes in animâ operatur unus, atque idem Spiritus Ieſu, pro ut vult, & ſecundùm cujuſque capacitatem; quocircà nemini deinceps id mirum videatur; cum hoc videatur, & de facto in aliquibus ſic fieri conſtet.

CAPUT XIV.

Spiritus Mariæ dirigit, poſſidet, operatur & vivificat aliquas animas; quo ſenſu & modo; tunc illæ vivunt per ſpiritum Mariæ, ipſarum vita eſt Maria, & quaſi transformantur in Mariam.

VIdetur aliquibus Mariæ filijs, ſivè per conſuetudinem eam ſic in mente habendi ut Matrem amabilem, ſivè per frequentes amoroſas operationes & directiones Spiritûs Ieſu ergà hanc ſuaviſſimam Matrem, quod ſeſe ab ejus ſpiritu etiam ſinant regi, formari, poſſideri, animari; ità ut ab eâ ut filioli chariſſimi videantur educari, ejus indolem imbibere, ejus ſpiritu indui, atque hoc ſenſu in eam transformari, ejuſque ſpiritus in eis vivere, & omnia operari.

Spiritus Mariæ in aliquibus vivit.

Quo ſenſu? Quod hoc ſenſu poteſt intelligi: indubiè Spiritus Ieſu ineffabiliter perfectiùs poſſedit, operatus eſt, & vivificavit Matrem amabilem, quàm ullam aliam creaturam: hic Spiritus Ieſu in illâ manens, ipſe fecit ejus opera, in nullo deficiente ejus coôperatione; ſic ut Spiritus Ieſu per fideliſſimam ejus coôperationem, factus ſit ejus ſpiritus, de quo ipſa ait, *ſpiritus meus ſuper mel dulcis*; hic ejus ſpiritus in eâ emicuit in omnis generis virtutibus, & omnia in eâ cum eâ operatus eſt.

Quis ſit Spiritus Mariæ.

Quandò autem ipſa dignatur aliquos filiolos formare, eis procurat ſuum ſpiritum, id eſt Spiritum Ieſu operantem ſuas in eis virtutes, ſuam indolem, ſuum agendi modum, ſuas inclinationes; quo fit ut illi videantur in Mariam transformari, & ſpiritus Mariæ in illis vivere, vel potiùs Spiritus Ieſu vivit, & operatur in illis, ſicut in Mariâ; ſed quid mirum, ſi hi filij chariſſimi cum ſuâ Matre amabili fiant unanimes, ejuſque imbibant indolem? hoc proprium eſt bonis filijs, hoc intendunt amantiſſimæ Matres.

Maria procurat aliquibus ſuum Spiritum.

Tunc vita Mariæ manifeſtatur in illis, juxtà, & vita Ieſu; tunc fit, ut, ſicut dixit Apoſtolus, *vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, id eſt, Spiritus Chriſti vivit in me, etiam tales videantur poſſe dicere, vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Maria; eò quod nimirùm in eis exſtinctum ſit, quidquid illi Spiritui Mariæ contrariatur, & quidquid illi eſt conforme, vivat in illis; imò Spiritus Mariæ, ſenſu dato, videtur eos dirigere, poſſidere, vivificare, quaſi Spiritus Mariæ cum Spiritu Ieſu, ſeu unus & idem Spiritus Ieſu & Mariæ operaretur in illis omnia eorum opera, eos animaret, in omnibus dirigeret, ſicut Mariam animavit, direxit, & omnia ejus opera fecit: atque hoc ſenſu, jam ipſi non vivunt, ſed Maria vivit in illis, eorum potentias agendo, inclinando, dirigendo, quò ſic eos novo modo faciat vivere in Deo; ſicque ipſis vivere Maria eſt, quam tunc meritò ſalutant, *vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve.*

Maria vivit in aliquibus ſicut Chriſtus.

Maria eſt eorum vita.

Atque hæc ſufficiant, ut piæ animæ inſtruantur in vitâ Deiformi, ac divinâ in Deo propter Deum, & ſimul Marianâ in Mariâ propter Mariam, quam in nobis perficere dignetur, qui dedit velle, per interceſſionem Matris amabilis, Ieſus benedictus in ſecula. Amen.

Finis Tractatus tertij.

TRA-

TRACTATVS QVARTVS DE ADORATIONE DEI *IN SPIRITV & VERITATE.*

PROLOGVS.

QVamvis in Tractatu ſecundo ſufficienter oſtenderimus, quomodò & qualiter anima Deum amans in Deo vivere poſſit & debeat; tamen fore bonum mihi viſum eſt, ſi hîc adderem Tractatum de adoratione Dei in Spiritu & Veritate, *quaſi pro continuatione & complemento materiæ; quippè hæc adoratio nihil eſt aliud, quàm* vita quædam divina in Deo. Tractatus de adoratione eſt complementum vitæ divinæ.

Hîc invenietis varia exercitia ſpiritûs in Deo; quomodò animæ Deum amantes Dei Spiritu principali acti, paulatim magis & magis proficiant in verâ libertate filiorum Dei, quam ubi ſunt adepti, ecce nôrunt omnibus creaturis uti in Deo & ſecundùm directionem Dei; nôrunt etiam potentias ſenſitivas permittere agere, conformiter ad placitum, vel permiſſionem divini Spiritûs; ità ut paulatim tendant & pertingant ad aliquam perfectionem primi ſtatûs innocentiæ; quô fit, ut in illis, potentiæ ſenſitivæ in ſuis operationibus ſubjiciantur directioni potentiarum rationalium, & potentiæ Libertas filiorum Dei.

ratio-

Digitized by Google

CAPUT I.

Homo ad Deum creatus; ad eum debet tendere, maximè per exercitia Spiritûs, præſertim adorando Deum in ſpiritu & veritate; quid ſit ſic adorare Deum.

Deus eſt ultimus finis hominis.

S. Aug.

SCimus nos eſſe creatos ad Deum, tamquàm ad finem noſtrum ultimum, & centrum, in quo æternaliter requieſcamus, & gaudio beatifico perfruamur; undè ait Auguſtinus, *creaſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*: ad hanc ergò in Deo quietem oportet nos totis viribus tendere; convenientiſſimè autem tenditur, & citiſſimè pertingitur per exercitia ſpiritûs, per actus fidei, ſpei, & Charitatis, per occupationes amoroſas in Deo, extrà ſtrepitum creaturarum, cum abſtractione à phantaſmatibus: Salvator inter alia colloquia cum muliere Samaritanâ dicebat, *venit hora, & nunc eſt, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate*, & inſinuans tales facillimè Deum invenire, addebat, *nam & Pater tales quærit, qui adorent eum*, cujus rationem ſubjungens ait, *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate, oportet adorare*, quaſi diceret, cum Deus ſit Spiritus, quærit ſibi ſimiles, ſivè homines ſpirituales, id eſt, in carne quaſi ſinè carne viventes, qui carni & mundo mortui, ſpiritu vivunt, & ſatagunt Deum adorare in ſpiritu.

Veri adoratores.

Ioan. 4. 23.

Ibid.

Deo gratiſſimi.

Quid ſit Deum adorare in Spiritu.

Gal. 5. 25.

At quid eſt adorare Deum in ſpiritu? *oratio & elevatio mentis in Deum*; qui itaque aſſueverunt elevatâ in Deum mente vivere, & ſic *ſpiritu vivere, ſpiritu & ambulare*, illi ſunt *veri adoratores*; quales quærit Pater æternus; tales quippè, utpotè ſpiritualizati, ſunt Deo ſimiliores, adeoque chariores, undè etiam fit, quod, quia continuò conantur adhærere Deo, etiam unus ſpiritus ſint cum eo.

Adoratio Dei in ſimplicitate.

Sap. 6. 13.

Sap. 1. 1.

Quid ſit quærere Deum in ſimplicitate.

Quid ſit illa ſimplicitas.

Porrò adoratio Dei in ſpiritu aliquandò fit cum magnâ, eâque paſſivâ magis, quàm activâ ſimplicitate, ſeu excluſione omnium rerum corporearum, phantaſmatum, imaginum: de quâ dicitur, *Deus invenitur ab his, qui in ſimplicitate cordis quærunt illum*; ad ſic quærendùm Deum exhortatus nos Sapiens, ait, *ſentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum*: requiritur ergò ſimplificatio totius hominis, ſeu excluſio omnium ſpecierum rerum creaturarum, ut propriè adoremus Deum in ſpiritu; qualis maximè procurandâ eſt tempore orationis internæ; extrà quam etiam Deus quærendus eſt in ſimplicitate cordis; cum excluſione omnium non Deiformium, ſeu cum ſuſpenſione ſenſuum, & aliarum potentiarum ab opera-

Digitized by Google

operationibus non neceſſarijs, otioſis, non conformibus divino beneplacito, & membrorum à ſimilibus motibus: undè qui in omnibus & omni tempore vult Deum invenire, ipſi uniri, ipſo frui, in ipſo quieſcere, debet ſtudere dictæ ſimplificationi omnium, ſeu excluſioni omnium non Deiformium objectorum, cogitationum, verborum, actionum: in Deiformibus autem, ſuo ſtatui & conditioni convenientibus poteſt occupari; ità tamen, ut attendat ad debitam omnium ad directionem interni ſpiritûs ſubordinationem, quæ ſemper comitari debet, quo ſic omnia ad ſpiritum reducantur.

Ut autem practicè procedamus, & doceamus, quomodò Deus in ſpiritu & veritate ſit adorandus, more noſtro, ſubjiciemus varias diſpoſitiones & praxes animarum Deum in ſpiritu & veritate adorare ſolitarum.

CAPUT II.

Modus orandi in ſpiritu per ſuavem introruptionem in Deum, cum applicatione mentis ad Deum, ad Ieſum, Mariam, &c. cum ſatisfactione etiam quoad naturam; qualem diſpoſitionem hinc anima acquirat.

Suavis irreptio in Deum cum ſimplici ſpiritûs applicatione ad aliqua Deiformia.

ANima devota faciens profeſſionem adorandi Deum in ſpiritu, diverſimodè ſeſe reperit diſpoſitam in internâ oratione: aliquandò per ſuavem & tranquillam ſui intromiſſionem, ſeu irreptionem, pertingit ad magnam ſimplicitatem; ità tamen, ut hinc, indè adhuc comitetur aliqua reflexio, vel etiam tenera & ſuavis converſio ad aliqua, v. g. ad Matrem amabilem, ad Ieſum, vel quid aliud in Deo honoratum, vel amatum, vel Deiforme: in hâc oratione videtur anima ſui potens, quaſi habens poteſtatem & facilitatem quævis objecta inadvertenter prætereundi, ſicut res, quibus pro libitu oculos claudimus, & ſic à nobis removemus; hanc arbitrariam rerum inadvertentiam comitatur ſtabilis intuitus, ſeu reflexio ad Deum cum varijs Spiritûs acclinationibus, amoroſis cordis converſionibus, &c. quamquàm ſæpè non multùm ſenſibilibus, ſed rationabilibus, maturis, in ſpiritu: poſteà autem manet mens ſubindè quaſi ſuaviter ſauciata, vel quaſi ſcintillans in amore Dei.

Interna diſpoſitio.

Amoroſa animæ occupatio in Deo, & in Mariâ cum ſatisfactione naturæ.

Aliquandò in oratione facilè tranſeunt aliquot horæ, in magnâ ſimplicitate & quiete, cum ſuavi & amoroſâ liquefactione in Deo, vel etiam ad Matrem amabilem cum delectabili fruitione; tunc naturâ videtur coagere

Digitized by Google

53.

gere cum magnâ ſatisfactione, atque ideò tempus apparet tàm breve: quandò ſubindè oboritur reflexio ad aliquid, anima facilè poteſt illam dimittere; nam omnia nutui & dominio ſpiritûs ſubeſſe videntur; poſteà illi videtur, quod multa in ſpiritu ſint tranſacta, ſed non poteſt explicare, quæ; ſicut aliquis cum exultatione expergiſcitur, memor, quod ſomniaverit multa conſolatoria, & bona, quibus fuit oblectatus, ſed neſcit in particulari, quæ; ſcit tamen anima ſe ſuaviter fuiſſe occupatam in Deo, vel circà Matrem amabilem; undè etiam poſt orationem manet benè inclinata, ſuaviter affecta, interiùs quietata, & ad omnia, quæ novit Deiformia, ſimpliciter propenſa, in executione facilis, & dulciter hilaris; qualis diſpoſitio ſatis innuit, eam in oratione bono ſpiritu fuiſſe actam, & utiliter in Deo occupatam: undè etiam plurimùm conſolatur, confortatur, & in ſuo vivendi modo manet benè ſecura, ut ſinè timore generosè pergat.

Diſpoſitio animæ poſt intimam orationem.

Signa divinæ operationis.

CAPUT III.

Anima, occaſione ariditatis dubia, an ſit in bonâ viâ, docetur, quomodò in Deo eſſentialiter debeat eſſe contenta, eum adorando in ſpiritu, ad omnia indifferens, & quaſi inſenſibilis; ſit per hoc robuſta ſpiritu, ut exerceat vitam activam, ſinè malle alicujus rei, cum magnâ libertate mentis.

Anima devota non ſemper manet in eâdem diſpoſitione, nec ſtabiliter à Deo prævenitur, præſertim quoad perceptibilitatem; ſed ſubindè relinquitur in magnâ ariditate; in quâ tamen ſecundùm ſpiritum conatur ſe tenere contentam; quamquàm præ nimiâ duratione aliquandò aliquod tædium in animâ oboriatur, eò quod ei videatur, quod ſit coràm Deo *quaſi terra ſinè aquâ*, & infœcunda: undè neſcit, quid agere, ut trahat ad ſe ſpiritum; quia equidem omni tempore manet prompta, ſinè deſidiâ, diligens, & vigil, ut maneat fidelis Deo, ejuſque beneplacitum in omnibus cognoſcat & exequatur.

Anima non in eodem ſtatu manet.

Pſalm. 142. 6.

Manet Deo fidelis etiam in tædiosis.

Dùm fortè poſt aliquod tempus incipit percipere aliquam ſcintillam devotionis cum aliquâ purâ mentis ad Deum inclinatione, etſi non multùm ſenſibili, tunc incipit penſare, undè ſibi prædicta ariditas potuerit cauſari, ſed nullum certum fundamentum deprehendens cogitat, an non expediret

aliquid aliud facere, quàm tàm aridam orationem mentalem abſque utilitate & fructu; uti ei videtur.

Anima in ariditate ſit contenta Eſſentiâ Dei.

Quia autem ipſa eſt una inter docibiles Dei, inſtruitur interiùs, quomodò ſeſe in tali diſpoſitione gerere debeat, n. ſeſe contentare præcisè in Eſſentiâ & voluntate Dei, ibi quieſcendo, abſque eo, quod aliquid aliud prætendat vel deſideret; equidem ſtatus indifferentiæ omnem electionem excludens, debet longè tranſcendere omne ſentire & percipere, omnia inadvertenter tranſeundo; & reverà aliter non poteſt anima purè quærere & invenire Dei Eſſentiam & voluntatem in ſe, & ſecundùm ſe, ſed ſecundùm proprium guſtum & induſtriam.

Cum indifferentiâ.

Quomodò Deus in ariditate adorandus in Spiritu.

Deindè debet tunc ſtare in magnâ reverentiâ & adoratione ad Deum, quaſi immobilis, eum fixo fidei oculo contemplando, & brachijs rationabilis dilectionis amplexando; ſic quippè licet adorare Deum in ſpiritu & veritate cum alienatione ab omni corporali perceptione: hîc etiam debet anima ſuam ergà Deum fidelitatem oſtendere, nequidem in minimo deficiendo ab ijs, quæ, conformiter ſuo ſtatui, debet agere vel omittere.

Idonea diſpoſitio ad vitam activam.

Porrò licet hoc ſiccè procedere videatur, non ſit tamen ſinè utilitate & fructû; nam ſpiritus per hæc exercitia roboratur, fitque idoneus ad ardua, ad externas occupationes, ad congrua ſuo ſtatui negotia pro Dei gloriâ, & animarum ſalute peragenda, abſque quæſitione propriæ quietis in ullâ re: Spiritus tunc etiam eſt magis impermixtus paſſionibus, maturior, circumſpectior, & alienior ab omni ſenſuali vel naturali affectione ad aliquid inordinatum; attamen benevolus, non tædioſus in converſatione; paratus ad omnia voluntati divinæ non difformia, eò quod nihil ſit, quod eum potiùs ad hoc, quàm ad illud, vel ad aliquid aliud videatur allicere; neque enim ad unum ſentit majorem inclinationem, quàm ad aliud; ſicque gaudet magnâ libertate ſpiritûs, & eſt liber à multis occaſionibus imperfectionum, & conſequenter talis diſpoſitio eſt valdè idonea, ad veram cordis puritatem: ideò hîc animæ videtur oſtium apertum, quod diſcere incipiat, quomodò deinceps debeat ſtare in ſpiritu & veritate, cum conſtanti reverentiâ & adoratione Dei, cum excluſione omnium, quæ non ſunt Deiformia.

Indifferentia & libertas ſpiritûs.

Vtilis ad puritatem cordis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quomodò anima etiam in ariditate ſtare poſſit in reverentiâ ad Deum; ſed tunc non ſinè aliquâ violentiâ in excludendis imaginationibus; quid tunc adorationem Dei in ſpiritu fovere poſſit: hæc adoratio etiam in vitâ activâ exerceri poteſt, cum fugâ multorum defectuum.

Conformiter prætactæ doctrinæ incipit anima devota lectionem præcedentem practicare; nempè, conando, cum ſtabili reverentia, & adoratione ſtare in præſentiâ Dei, in elevatione mentis, cum activâ excluſione omnium objectorum, ſpecierum & imaginationum; ſed cum ſpiritus ſubindè non ſpecialiter trahatur, hoc exercitium nonnihil comprimit animum, & aliquâ contentione opus eſt, ne falſo otio detur locus; nam omnes imagines, objecta, &c. tali modo excludere, & ſpiritum in Deo tàm purè elevatum tenere, dùm non ſpecialiter introtrahitur, vel non experitur ſingularem Dei operationem, non poteſt eſſe ſinè aliquâ moleſtiâ, atque de hâc oratione intelligi poteſt axioma antiquorum Patrum, ***non eſt labor ſimilis labori orationis.*** Quomodò in ariditate Deus adorandus in ſpiritu.

Equidem non videtur aliter poſſe vitari falſum otium in tàm aridâ diſpoſitione, in quâ pars ſenſitiva nullo modo ſinitur colludere: & defectu hujus exercitij multæ animæ ſæpè perdunt multum temporis, nimis otioſè ſe habendo in oratione, dùm ſpiritus intùs non trahitur ſpecialiter; & ſic parùm proficiunt in verâ adoratione Dei in ſpiritu & veritate. Quomodò in ariditate vitandum otium.

Porrò ad diſcendum ſic ſtare in ſtabili reverentiâ ad Deum, ac in adoratione Dei in ſpiritu & veritate, conducere & fomentum dare poſſunt aliqua verba veritatis, v. g. *Pater immenſæ Majeſtatis: Deus replet Cælum & terram. Cæli non ſunt mundi in conſpectu ejus. Bonum eſt ſe humiliare ſub potenti Dei manu. Terribilis in conſilijs ſuper filios hominum. Deus meus & omnia,* & ſimilia; per hæc enim anima acquirit habitualem reverentiam & æſtimationem Dei, quâ fit, ut in omnibus agendis, & omittendis ſit circumſpecta, & abſtineat ab omni adhæſione ad creaturas, ſeque in Deo, ſpiritu teneat elevatam: hoc fomentum ex parte animæ non eſt neceſſarium, dùm intùs à Deo trahitur vel agitur; tunc enim omnia ſponte fluunt, & divinus Spiritus omnia operatur, animâ ſe quaſi paſſivè habente; ſed quandò ſic non agitur, dùm ſaltem vitam internam cordi habere deſiderat, modo anteà dicto conari debet activè ſtare in Deo, vel alioqui ad ſubſidium medi- Quomodò adoratio Dei fovenda in ariditate. Non ſic in ſtatu præventionis.

meditationum confugere deberet, ut ſic uno vel alio modo otium vitet.

Conſtanter adorare Deum in ſpiritu eſt fortium animarum.

Verùm ſic conſtanter ſtare cum reverentiâ in Deo, eſt melior diſpoſitio ad vitam Deiformem & divinam in Deo; quamquàm ad hoc, generoſo ſpiritu opus ſit, qui non quærat ſolatium, lumen, dulcedinem, &c. ſed paratus ſit ſinè fulcro vel ſublevamine ſenſibilis ſatisfactionis, ſe Deo committere, cum cordiali abnegatione omnium, quæ Deus non ſunt.

Quomodò in externis exercitijs Deo adhærendum in ſpiritu.

Per hoc exercitium etiam multùm accreſcit robur ſpiritûs, quod etiam in externis occupationibus per idem exercitium poteſt conſervari, hoc modo; anima inter loquendum cum alijs, vel in alijs externis operibus, poteſt ſic manere, perſiſtendo in internâ reverentiâ ad immenſam Eſſentiam Dei; quæ tunc ſervit loco fræni, ad compeſcendam naturam, ad ponderanda verba, & prudenter in omnibus procedendum: hoc tamen non impedit, quo minùs anima præbeat ſe omnibus benevolam, & affabilem, præſertim illis, quibuſcum debet converſari; non ideò etiam deſinit eſſe accommodabilis, ut in rebus indifferentibus propriæ renunciet opinioni, &c. nam reverentialis ille ad Deum intuitus in omnibus agendis & omittendis, eſt occaſio boni regulamenti, moderaminis & ordinis.

CAPUT V.

Hæc adoratio Dei in ſpiritu exerceri poteſt in demonſtratione alicujus Myſterij, abſque diſcurſibus: quomodò anima ſe gerere debeat, quando tunc Mater amabilis, vel aliquid aliud occurrit; quomodò animus reverentialis durare poſſit in recitatione horarum.

Modus adorandi Deum in ſpiritu in oratione.

ESt valdè bonus & utilis modus internæ orationis, ſeſe ponere & conſervare in dictâ reverentiali, & adorativâ elevatione mentis in Deo; præſertim, quandò Deus ſpecialiter non operatur; atque poteſt ſimiliter in alijs Myſterijs fidei practicari, per ſimplicem intuitum vel repræſentationem alicujus puncti fidei; v. g. in memoriam reducendo hæc vel ſimilia verba æternæ Veritatis, *Verbum Caro factum eſt ... Deus humiliatus ... Deus flagellatus ... Deus ſpinis coronatus ... Amor meus pro me crucifixus ... Chriſtus reſurgens à mortuis ... Aſcendens in Cœlum ... Maria Mater Dei ... Maria Mater & Virgo ... Deus miſericors in electis ... Deus juſtus in reprobis ... mira Dei providentia, ut nos in humilitate conſervet*, vel ſimilia: atque ità unum verbum tenet animam

In repræſentatione alicujus Myſterij.

Digitized by Google

mâm attentam, reverentialem, adorantem Deum in ſpiritu & veritate, juxtà ſenſum iſtius verbi, vel Myſterij, ſinè diſcurſibus, cum ſimplici intuitu, & applicatione mentis ad illud. Sinè diſcurſu.

Si fortè durante iſtâ elevatione mentis, occurrat memoria Matris amabilis, vel alterius rei in Deo charæ, anima nihilominùs perſiſtit in iſtâ reverentiâ, & adoratione Dei in ſpiritu; quemadmodùm aliquis ſtans coram Rege, ſolo ictu oculi amorem exhiberet ſuæ matri, ſed non ideò minueret debitam Regi reverentiam vel obſequium, ſed illa reverentia hunc ergà matrem amorem temperaret, nè eſſet nimis effuſus, & hominem in debitâ modeſtiâ contineret. Reflexio ad Matrem amabilem non impedit adorationem.

Hic modus orationis commodè etiam ſervari poteſt in recitatione divini officij, vel aliarum precum vocalium; cum enim in illis ferè continuum cum Deo habeatur colloquium, planè decet, ut tunc omnem noſtram attentionem ad Deum ſatagamus tenere erectam, animo reverentiali, & cum actuali excluſione cæterorum ad rem non pertinentium objectorum, diſtrahentium imaginationum, &c. quatenùs ſic etiam adoremus Deum in ſpiritu & veritate. Attentio reverentialis ergà Deum in recitatione horarum.

CAPUT VI.

Reverentialis adoratio Dei in ſpiritu eſt ſpiritus principalis, qui tenerum ergà Deum & Matrem amabilem amorem debet moderari, tolerat tamen ſubindè colluſionem virium ſenſitivarum cum earum ſubordinatione: hic animus reverentialis temperat quidquid naturæ arridet.

DUm anima in prædictis benè exercitata ſubindè agitur ſpiritu tenerrimi amoris ergà Puerum Ieſum, vel ergà Deiparam velut ergà amabilem Matrem per teneros & innocentes filialis affectûs actus, amoroſa alloquia, &c. tunc hæc omnia fiunt quaſi ſub imperio & directione iſtius ſpiritûs reverentialis, qui proindè animam quaſi tantiſper cohibet, nè ſe nimiùm effundat, & nimiùm de naturâ miſceat; alioqui compatitur teneritudinem & innocentiam ejuſmodi ſuavis amoris, ejuſque dulciſſimas operationes; imò id ſuo tempore eſt neceſſarium; quippè alioqui natura, durante hâc vitâ, non poſſet perſeverare in ſtabili & ſerioſâ illâ reverentiâ, ſeu in attentâ illâ adoratione Dei in ſpiritu, in illâ permagnâ abſtractione, animi maturitate, &c. Tener amor Ieſu & Mariæ debet eſſe ſub directione ſpiritûs reverentialis. Eſt aliquandò neceſſarius.

Atque

Digitized by Google

Cur Deus ſubindè præveniat dulcedine.

Atque ideò Dilectus aliquandò permittit ut natura participet, infundendo ſenſibilitatem ſuavis dilectionis ergà ipſum, ergà Matrem amabilem, vel aliquid aliud in Deo charum; quin-imò tunc etiam potentiæ ſenſitivæ ſupernaturaliter aguntur, quamquàm non ità ſpiritualiter; & operationes hujus teneri amoris pro illo tempore etiam tolerantur cum permiſſione & complacentiâ ſpiritûs principalis, qui alioqui de ſe eſt abſtractus ab omni re creatâ, & ſtat in Deo erectus; quia autem diſpoſitio teneri & ſenſibilis amoris magis eſt obnoxius alicui ſenſualitati & fraudi, anima ſemper debet conari, ut illum ſpiritum principalem acquirat in majori perfectione, qui in omnibus debet ponere modum, & attendere, nè quid minùs ordinatum inveniatur in ullis exercitijs.

Spiritus reverentialis eam moderatur.

Quandò Regius Propheta affligebatur in ſtatu ariditatis, & internæ deſolationis, orabat pro aliquo ſolatio dicens, *redde mihi lætitiam ſalutaris tui*, ſed illi non multum innitens addebat, *& ſpiritu principali confirma me*; ex quo etiam docemur ſimiliter orare; nam reverà hic ſpiritus principalis requiritur, ut imperet & dirigat, nè anima, ſenſibilis devotionis dulcedine & teneritudine ineſcata incidat in ſenſualem adhæſionem, & gulam ſpiritualem.

Pſalm. 50.

Quid ſit ſpiritus principalis.

Quandò Dilectus ſic naturæ nonnihil indulget, non licet illud reſpuere, ſed oportet cum gratitudine acceptare, & permittere ſuaviter fluere, quàm diu ipſi placuerit, non multùm fovendo ex parte noſtrâ; contingit hîc, ſicut ſi majeſtuoſus Rex aſſuetus tenere ſuam gravitatem, & cum magnâ reverentiâ inſerviri, ordinariè non velit permittere amatoria ſigna, vel luſus inter domeſticos, vel pueros, imò nequidem cum ipsâ Reginâ; benè ſciens tamen eſſe naturale, ſubindè aliquam recreationem habere, iſta congruo tempore permittit; imò ad ea dat occaſionem, vel etiam tantillum colludit, quò det confidentiam; ità tamen ut advigilet, nè quis exorbitet, vel ex petulantiâ perdat reſpectum, quamquàm libenter nonnihil indulgeat innocentiæ & teneritudini amoris, nè facilè offendatur; ſimili etiam modo agit cum Dilectâ ſuâ, n. ordinariè cum maturitate & reverentiâ, aliquandò valdè amicabiliter, amoroſè, benevolè & familiariter; quo tempore etiam majeſtas videtur ſecluſa, ut amori fiat locus & detur libertas in ſecreto: tali quippè modo res etiam ſe habet inter Deum & animam devotam, licet enim hæc ordinariè ſeſe tenere debeat cum magnâ reverentiâ in præſentiâ Dei, eum adorando in ſpiritu & veritate, abſque mixtione naturalis ſatisfactionis in aliquâ effuſione amoris, ſinè colluſione virium ſenſitivarum in amoroſis ad ipſum acceſſibus vel amplexibus; attamen, quandò Deus ſubindè quaſi abſcondit Majeſtatem ſuam, & ſeſe animæ exhibet ut amantiſſimum Sponſum, eam interiùs quaſi alliciendo, abblandiendo & dando confidentiam ad exercitia tenerrimi, innocentiſſimi,

Quomodò anima ſe debeat gerere in dulcedine.

Rex ſubindè permittit aliquem luſum inter domeſticos.

Aliquam familiaritatem cum Dilectâ, oblitus Majeſtatis.

Anima cum reverentiâ agat cum Deo.

Aliquandò tamen amoroſè inſtar Sponſæ.

Digitized by Google

mi, & ſuaviſſimi amoris ergà ipſum, ad Matrem amabilem, &c. tunc non poteſt prætextu reverentiæ tergiverſari, vel abnuere, ſed etiam potentijs ſenſitivis indulgere, ut coöperentur cum libertate animi; quippè id pro tunc ſic placet Dilecto; ſolummodò illa attendere debet, nè ſpiritum principalem impediat, ſed ab illo in omnibus dirigatur; ità ut ille ſemper prædominetur, & ubique ponat ordinem.

Inſtar filij ad Mariam.

Sub directione ſpiritûs.

Id etiam habet locum in uſu rerum naturæ placentium; in quibus ſolùm advigilandum eſt, ut ſic Deo adhæreamus in ſpiritu & veritate, ut quidem natura cum gratitudine utatur ijs, quæ Deus ad ejus obſequium creavit; ſed ſpiritus reverentialis teneat frænum, nè natura nimium ſe effundat ad aliquid extrà Deum, ſed diſcat ijs uti in Deo, cum Deo & propter Deum.

Etiam in rebus naturæ gratis.

CAPUT VII.

In ſtatu ariditatis anima etiam ſtare debet in reverentiâ ergà Deum, ſed ſinè violentiâ, ſuaviter converſa ad Deum; ſicque poteſt continuò Deum adorare in ſpiritu, ſinè prætenſione gratiarum ſenſibilium.

DUm anima devota interiùs ſpecialiter non trahitur, & equidem pro poſſe ſatagit ſtare in illo ſpiritu principali, in reverentiâ & adoratione immenſæ Majeſtatis Dei, tùm id præſtare nequit ſinè aliquâ tenſione animi, & cerebri, debetque fateri, quod in obſervatione & fideli ſequelâ iſtius ſpiritûs principalis, extrà perceptibilem tractum vel operationem Dei inveniatur continua mors naturæ, quippè anima eam tunc debet jugiter tenere elevatam, & in Deo attentam, abſque eo, quod poſſit frui aliquâ quiete vel ſatisfactione, ratione ariditatis, in quâ à Deo relinquitur; & tamen videtur, quod aliter non poſſit, quin debeat illam reverentialem Dei memoriam conſervare, & fovere, quo ſic falſum otium vitet.

Attentio ad Deum moleſta in ariditate.

Eſt neceſſaria ad vitandum otium.

Hîc tamen pia anima debet eſſe circumſpecta, ut diſcretè procedat; ſciat itaque, quod iſte animus reverentialis ergà Deum non debeat exerceri ità contortè aut violentè, nè alioqui indè cerebrum lædatur, & dolor capitis cauſetur, ſed modeſtè, & ſuaviter, cum ſuavi influxu vel applicatione ſpiritûs, tamquàm ad aliquid, quod eſt in ipſâ, vel unum cum ipſâ, ad quod proindè non eſt opus ſpiritum violentare, quaſi ſurſum elevare, vel elevatum tenere; cum Deus *non longè abſit ab unoquoque noſtrum, nam in ipſo*

Vitanda violentia in eâ fovendâ.

Suaviter procedendum.

Act. 17. 28.

Digitized by Google

1. Joan. 4. 16. *ipſo vivimus, movemur, & ſumus*; &, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo*: ſic ut nihil aliud ſit neceſſarium, quàm ſimplici fidei oculo noſtrum ſpiritum ad eum convertere, cum ſuavi mentis influxu in ipſum, vel reverentiali quiete in ipſo; nam alioqui iſta intenſio, vel violenta elevatio ſpiritûs, præſertim dùm ab intùs non fovetur, fit quaſi cum quâdam violentiâ, quæ durare nequit.

Modus inveniendi Deum in nobis & continuò adorandi in ſpiritu. Quandò anima poteſt hoc punctum capere, & didicit tàm ſuaviter Deum, omne & unicum ſuum Bonum in ſe invenire, contemplari, adorare, amplecti, vel ſuum ſpiritum tàm tranquillè & reverentialiter ad ſuum Dilectum tamquàm in ſe manentem, vel ſibi unitum, converſum tenere; tunc eſt in jugi oratione; de talibus dicebat Salvator, ad mulierem Samaritanam, *venit hora, & nunc eſt, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*: tales ſunt Deo gratiſſimi; nam, ut ait Chriſtus, *Pater tales quærit, qui adorant eum*: ut fiant de numero talium, debent animæ Deum amantes impendere omne ſtudium & adhibere omnem conatum; quia *ſpiritus eſt Deus, & ideò omnes, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*; talibus orare non eſt difficile, etiamſi ſint in ariditate; quippè ipſis ſufficit, habere Dilectum ſuum in ſe eſſentialiter præſentem, ſivè credere, quod ille ſecundùm ſuam eſſentiam ſibi ſit intimè præſens & penetratus, licet eum non inveniant, *ut amictum lumine, ſicut veſtimento*: ideò ſemper manent omninò tranquilli, ſuaviter, vel ſaltem rationabiliter, & cum maturâ reverentiâ ad ipſum converſi.

(Margin: Joan. 4. — Cum complacentiâ Dei. — Ibid. n. 24. — Quid ſit Deum eſſentialiter invenire. — Pſal. 103. 2.)

CAPUT VIII.

Adoratio Dei in ſpiritu facienda eſt ſinè violentiâ, cum ſuavi ſubterfugio omnium: quomodò anima ſe gerere debeat in afflictione, ariditate, tentatione cum tolerantiâ in Deo, & reſignatione ſui, ſinè inquietudine; ad quod multùm juvat humilitas.

Adoratio Dei in ſpiritu ſuaviter facienda eſt. QUantò anima devota plus proficit in exercitio adorandi Deum in ſpiritu & veritate; tantò interiùs clariùs inſtruitur, & percipit, ſe in eo non poſſe procedere cum violentiâ, ſed cum ſuavitate, ſeu cum ſuavi ſubterfugio, ſivè extruſione, id eſt, libero corde conando præterire omnia objecta, imaginationes, &c. & ſimplici, firmoque reverentialis fidei intuitu ad informem Dilectum attendere, nullam vim faciendo.

Sed

539

Sed quomodò anima ſe geret, dum præ magnâ ariditate, & multiplici ultrò adveniente preſſurâ obruitur; ità ut ad aliquam ſimplicitatem non videatur poſſe pertingere? non ideò turbetur, vel contriſtetur, vel ſibi vim inferat, ut mentem tranquillet; ſed ſe potiùs permiſſivè habeat, retinendo ſolummodò ſimplicem aſpectum & promptam voluntatem ad Dilectum ſuum; ſicuti aliquis, qui in prægrandi mericâ, turbine, imbre, vel grandine præoccupatus & obrutus, poſtquàm hinc indè ad umbram alicujus arboris, vel ſepis circumſpexit, latibuli inveniendi gratiâ, & invenire non potuit, vel pergit carpere viam, vel alicubi retrò aliquem colliculum, vel dumetum ſe continet omni meliori modo poſſibili, quietus, & quaſi conglomeratus ſeu recurvatus, donec tempeſtas tranſierit, circumſpiciens intereà hinc indè, an nullibi Cælum clareſcat: equidem ſimili modo, quandò anima in oratione non ſpecialiter agitur vel trahitur, ſed potiùs advertit ſe premi multiplicitate phantaſmatum, vel afflictionum, vel tentationum, abſque eo, quod poſſit ſubterfugere; tunc debet ſe accommodare, & omnia iſta tranquillè tolerare, ſeſe librando in providentiâ Dei, vel etiam ſe gerendo, quaſi imbre perfuſa, tempeſtate obruta, urenti boreâ concuſſa, vel tumultu populari foret inquietata, nec ſciret remedium contrà omnia iſta, ac proindè imprudenter faceret, ſi in iſtis ſe turbaret, vel iraſceretur, eò quòd in his omnibus non poſſit eſſe ſinè auditu, ſinè ſenſu, ſinè perceptione.

Quomodò anima ſe debeat gerere in ariditate.

Sicut obrutus tempeſtate in medio campi.

Tempeſtas ſpiritûs.

Modus in eâ ſe habendi.

Quocircà omninò præſtat in tali conſtitutione habere patientiam, & ſervare tranquillitatem mentis, omnia modeſtè ſufferendo, quàmdiu Deo viſum fuerit; conando tamen intereà ſervare advertentiam, undè veniat ventus, & oculum apertum ad orientem, dico, ad Deum, ut de manu ejus omnia ſuſcipiat, & in ipſum omnia demergat, animo conſtanti, tranquillo, quieto, imò lætabundo; atque hoc modo in oratione neque eſt anxietas, nec difficultas, nec violentia, uti nec in alijs exercitijs, utpotè cum anima magis ſe habeat paſſivè, vel permiſſivè; quæ permiſſio nihil aliud eſt, quàm tranquilla tolerantia cum intuitu reverentiali ad Deum, quaſi ſic deberet eſſe, nec ipſa aliter poſſet ſe habere.

Suſtinendo cum oculo ad Deum.

Ut anima in his cum majori tranquillitate poſſit manere, & conſequenter in oratione, etiam longo tempore, ſinè tædio, perſeverare, ſinè læſione cerebri vel dolore capitis, plurimùm juvat cor humile; dùm ſcilicet anima per continuam ſui annihilationem, ſeu exinanitionem, eò devenit, ut ne quidem ſemel cogitet de re aliquâ prætendendâ extrà Deum eſſentialiter; nec aliud deſideret præter Eſſentiam Dei; quin potiùs ei adhuc nimium videatur minimum, quod Dei Bonitas ei dignatur impendere; imò per eſſentialem, ſeu in gradu perfecto acquiſitam humilitatem, non ampliùs reflectit, an ſic vel aliter ſecum agatur, ſed ſeſe totaliter com-

Humilitas multum juvat ad quietem in ariditate.

Digitized by Google

committit divinæ Clementiæ; ſicut aliquis pauperculus in palatio toleratus facilè contentatur ijs, quæ ei dantur; cum ei adhuc videatur nimius ſavor, quod ibi ſinè ullo ſuo merito toleretur, ex merâ gratiâ.

CAPUT IX.

Vndè agnoſcatur perfecta humilitas: qui eam acquiſivit, ſemper eſt quietus, etiam in carentiâ omnis ſolatij, luminis, gratiæ, in afflictionibus, &c. in his ſe turbare, venit ex ſuperbiâ; quid eſſentialis humilitas operetur in animâ.

Signum humilitatis eſt æquanimitas in ariditate & adverſis.

VT prædictis aliqua addamus; hoc nobis ſervire poteſt inſtar lapidis lydij, ut ſciamus, an ad convenientem fundum humilitatis, & abnegationem omnis propriæ quæſitionis pervenerimus; nempè, an maneamus æquanimes in fundo noſtro, in omnis generis diſpoſitionibus, ſinè electione, ſinè differentiâ, imò ferè ſinè ſenſu, dùm ſumus in miſero ſtatu; ſi quidem non diſpliceret nobis talis vel talis diſpoſitio, niſi implicitè in unâ potiùs, quàm in aliâ aliquid prætenderemus, vel quæreremus, vel nobis convenire putaremus; & indubiè, quantò à nobis ipſis ſumus magis expediti, & quantò magis eſſentialis humilitas in nobis eſt radicata, tantò minùs iſta ſentiemus, & minorem indè inquietudinem habebimus, cum Salvator dicat, *diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris*; ergò quò magis diſcimus eſſe humiles, eò majorem quietem inveniemus, qualemcumque diſpoſitionem internæ caliginis, deſolationis, ariditatis, tentationis, & quantocumque tempore Deus nobis immiſerit, vel in nobis permiſerit.

Humilitas cauſat animæ quietem.

Mat. 11. 29.

Defectu humilitatis multi turbantur in derelictione.

O quàm procul adhuc ſumus ab illâ eſſentiali humilitate, qui tàm facilè ſentimus, dùm non omnia pro voto in ſpiritu noſtro aguntur! imò miramur, cur, & quomodò Deus ſimilia nobis immittat, cum ſaltem putemus nos eſſe homines bonæ voluntatis; an non videmus id provenire ex occultâ æſtimatione noſtri-ipſorum? quaſi melioribus chariſmatibus eſſemus digni, pluſquàm alij: ſumus anguſtiati, afflicti, & curioſi, undè nobis advenerit tàm miſera diſpoſitio; & non videmus talem anguſtiam & afflictionem provenire ex propriâ quæſitione, & bonâ, quam de nobis concepimus, opinione, quaſi talis diſpoſitio nobis non conveniret, & foret ultrà demerita; certè reus quiſpiam, cui Rex vitam & honorem donavit, non offenditur, nec inquietatur, licet ei non concedatur quotidiè cum Rege ludere; filius alicujus pauperculi non ſibi attrahit, quod

Querela in ariditate venit ex ſuperbiâ.

debeat

5110

debeat paſcere vaccas vel porcos in frigore, in pluviâ, vel æſtu, ſed pro modulo ſibi providere conatur, non multum querulando, vel cogitando, quarè ſibi tàm miſera ſors obtigerit; imò nè vel ſemel de hoc cogitat, ut qui nihil habeat prætendere, quàm tenuem victum; imò adhuc ſibi complacet in ſuo ſtatu, hinc indè cantilat unam cantilenam, & terit ſuum tempus meliori modo, quo poteſt; ac licet videat alios filios nobilium in opulentiâ, in voluptate, benè veſtitos, & nutritos, non ſibi attrahit, nec ideò murmurat; quidem cogitat eos eſſe fælices, & quaſi Deos terreſtres, ſed non incidit ipſi ſimilem ſibi fæliçitatem competere, nec de non habitâ triſtatur, quin imò facilè dicit, ſeſe tàm benè contentum ſuâ exiguitate, vili veſtitu, & tenui portione, quàm illi in ſuâ magnificentiâ, ſerico ornatu, & lautitijs, imò vix vellet ſortem cum illis mutare; quid ità? quia eſt ſic aſſuetus, laborare, & tenuiter victitare eſt quaſi verſum in naturam.

Innata humilitas in pauperculis.

Eodem modo res ſe habet cum ijs, qui acquiſiverunt humilitatem eſſentialem ſeu perfectam; hi enim ſunt ſuâ ſorte contenti, nec ſciunt de aliquo conqueri, licet relinquantur in diuturnâ carentiâ divinæ conſolationis, in tenebris, in deſolationibus, in tædio, in afflictionibus & tentationibus; quia humilitas ipſis verſa eſt in naturam, undè fit, quod nè vel ſemel cogitent ſibi aliud convenire, nec conqueruntur, nec ſciunt aliquid prætendere; licet videant alios multis gratijs præventos, virtutibus & Dei donis abundantes, tamquàm ſpeciales Dei amicos varijs chariſmatibus ornatos, non ideò ſunt æmuli, nec invident, ſed ipſis congaudent, nec ipſis incidit ſimilia petere, vel conqueri, eò quòd iſtis omnibus debeant carere; cum enim in humilitate ſint conſummati, & parvi, ac abjecti in oculis ſuis, ipſis videretur extrà omnem rationem, aliquid ſimile prætendere.

Perfecta humilitas nunquàm conqueritur ſemper contenta.

Non invidet alijs.

Nil prætendit.

CAPUT X.

Oratio vigilantis quietis in Deo, in quâ anima in Deo quieſcens ſe adhuc poteſt convertere ad aliquid aliud, v. g. tenerrimè ad Matrem amabilem, ſinè impedimento principalis occupationis, ſeu adorationis Dei in ſpiritu: quomodò id fiat.

Divinæ operationes in animâ amoroſâ non ſemper tendunt ad intimitatem, ſimplicitatem, introverſionem, potentiarum ſoporationem, ſom-

Oratio vigilantis quietis in Deo.

Digitized by Google

ſomnum amoris, &c. ſed ſubindè etiam ad vigilantiam in Deo, etiam tempore orationis; ità ut tunc anima ſit omninò vigil in Deo; omnes potentiæ videntur ſubeſſe directioni ſpiritûs, qui quaſi confortatus & roboratus videtur, quaſi ſui potens, &, quidquid non eſt Deiforme, excludit ſinè magnâ difficultate, & intromittit quidquid vult, cum ſelectione, ſicque pro ſuo libitu manet in Deo ſuaviter occupatus, cum plenâ libertate.

Robur ſpiritus in illa.

In hoc modo orandi anima quidem (ut dictum eſt) vigilat, & occupatur in Deo, vel etiam in aliquo alio in Deo charo, cum reflexione, quomodò, & cum ſelectione; ſed ſpiritus equidem etiam à Deo agitur & trahitur; ità ut videantur eſſe duo, ſcilicet, divinus Spiritus & anima, qui unanimiter ſeſe jungentes, & ſe ſibi invicem accommodantes, mutuò juvant: ità ut difficulter diſcernere liceat, an Deus animam, an anima Deum ponat in opere, ratione magnæ concordiæ, & mutuæ accommodabilitatis inter illos: Verumtamen anima ſic vigilans & ſuaviter operans videtur in Deo invenire quietem, ac frui magnâ pace; ſic ut cum Sponsâ facilè diceret, *facta ſum coràm Dilecto, quaſi pacem reperiens*; eo ferè modo, quo aliquis totus vigil jacens in molli & commodo lecto, nec potens dormire, equidem ibidem ſuaviter quieſcit, ſinè inquietudine ad ſe hinc indè vertendum, ſed manet ſic quietè decumbens, non ſe movendo, ſpiritum tamen interim in re aliquâ pro voto occupando, & plenâ requie fruendo, quàm diu vult; nam ſimiliter videtur anima in Deo quieſcere, abſque eo quod circà aliqua ſit inquieta, vel ſollicita.

In illâ animâ à Deo agitur, & unanimiter agit cum Deo.

Vigilans quies in Deo.

Cant. 8. 10.

Inſtar decumbentis in molli lecto.

Tali modo poteſt tranſigere multas horas ſinè tædio, cum internâ ſatisfactione, & quâdam ſatiatione in Deo, quaſi vigilando, quieſcendo, non ſe movendo: in tali diſpoſitione, quidquid illi occurrit, facilè poteſt dimittere, vel, quandò eſt Deiforme, in eo & ſimul in Deo ſimpliciter, & intuitivè occupari abſque impedimento unius vel alterius, v. g. in Matre amabili, &c. per aliquam inclinationem, vel applicationem animi, quaſi innocentis pueri ad ipſam, & ſimul cum aſpiratione, & influxu mentis in Deum, in quo tunc habet ſuam principalem occupationem & attentionem; quo ſenſu non propterea anima deſinit adorare Deum in ſpiritu & veritate: ità tamen ut principalis occupatio aliam minùs principalem circà alia non impediat, ſed toleret, imò dirigat, & ordinet, nè fluat extrà Deum: atque ità reperitur debita ſubordinatio ſpiritûs minùs principalis, qui potentijs inferioribus adhuc permixtus eſt, ad principalem Spiritum Dei.

Iſte modus orandi eſt facilis & cum ſatisfactione.

Objecta Deiformia non impediunt quietem in Deo.

Spiritus principalis permittit ſpiritus minus principales v.g. amorem D. V. &c.

CA-

511

CAPUT XI.

Animus reverentialis & adorativus Dei in ſpiritu, debet eſſe ſpiritus principalis, qui omnis generis exercitia tolerat & dirigit, facitque animam idoneam ad vitam activam, non ità ſpiritus intimus.

EX jam dictis colligere eſt, quo ſenſu cum Prophetâ orare liceat, Domine, *ſpiritu principali confirma me*; nempè ut efficax inoperatio Dei, ſeu occupatio, & adoratio Dei in ſpiritu & veritate in nobis ſtabilior facta, & prædominationem nacta, omnes alios ſpiritus, animi inclinationes, & congruas in rebus alijs neceſſarijs, vel utilibus, & conſequenter Deiformibus occupationes contineat ſub ſuâ diſciplinâ, imperio, & bono ordine, eas omnes indifferenter in Deo concludendo, & omnes naturæ repullulationes, ſeu ad aliquas creaturas effluentias ſuaviter amputando, ac in Deo moderando.

Pro quo ſpiritu principali orandum.

Pſalm. 50.

Adoratio Dei in ſpiritu quo ſenſu ſit ſpiritus principalis.

Ex his etiam percipere licet, quàm utilis, & neceſſaria ſit prædicta ſpecies orationis animabus ad vitam activam vocatis; nam per talem orationem paulatim imbibunt ſpiritum principalem, à quo anima perfectè poſſeſſa, eſt apta ad omnia; omnia enim illi vertuntur in bonum; nihil eam extrovertit, aut diſtrahit; nec ipſa eſt nimis introverſa, introtracta, vel abſtracta, vel aliena, vel moroſa, vel inſenſibilis; ſed ſuaviter ad omnia parata, relinquens ſpiritui principali attentionis, reverentiæ, adorationis, amoris ergà Deum, directionem cæterorum ſuorum exercitiorum, imò ſub ejus imperio, vel ſaltem permiſſu, omnia ſua operans, ſeque accommodans ad omnia, quæ illi injungi vel committi poſſent, dummodò non ſint contrà Deum: cum autem ad omnia ſit ità indifferens, & indifferenter inclinata; complacet ſibi facilè in omnibus, quibus manum apponit; ſemper eſt contenta, & quieta; undè venit, quod ſe omnium humoribus facilè accommodet; eſt benevola, amicabilis, mitis, cordialis, patiens & ſatisfactiva, ſicque eſt omnibus chara & dilecta.

Eſt utilis ad vitam activam.

Temperat ſpiritum.

Cauſat animæ quietem.

Atque hinc creſcit adhuc interna ejus ſatisfactio; ità ut, quidquid agit, ei ſerviat ad fovendum ſpiritum principalem, ad aſpirationem ad Deum continuò renovandam & augendam, abſque eo, quod eam aliquid videatur poſſe extrovertere, fatigare, contriſtare, vel tædio afficere; ſicque omnia illi coôperantur in bonum, & pro voto, etiam quoad naturam, prout quiſque facilè conjicere poteſt.

Et ſatisfactionem.

Planè

Digitized by Google

Spiritus intimæ orationis non ſervit vitæ activæ.

Planè aliter contingit animæ, quæ ordinariè trahitur & agitur ſpiritu intimæ introverſionis, intimæ ſolitudinis, internæ quietis, & ſilentij; licet enim hæ diſpoſitiones ſint valdè divinæ, & videantur magis impermixtæ ab omni naturalitate, ſenſualitate, & multiplicitate, atque adeò animam meliùs diſponere ad myſticam unionem, utpotè magis accommodatæ & proportionatæ divinæ ſimplicitati & unitati; attamen hic ſpiritus non eſt ità fœcundus ad alios Chriſto lucrandos; imò anima ordinariè ab illo acta & directa, eſt ferè inidonea, ut cum alijs converſetur, vel externis occupationibus vacet; nam omnia cauſant ipſi tædium, ad nihil habet inclinationem, in nullis externis ſibi complacet, nihil ei lubet; imò debet ſibi quaſi vim inferre, dùm externis vacare cogitur; uno verbo, eſt tantùm idonea quieſcere inter brachia Dilecti ſui, vel cum Magdalenâ ſedere ſecùs pedes Domini, & audire Verbum illius.

Facit animam ineptam vitæ activæ.

Spiritus adorationis non minus utilis.

Porrò non ſic anima, quæ agitur ſpiritu, de quo in præſenti egimus, & adhuc agere ſperamus; licet enim intimis tractibus Dilecti, & teneritudine dilectionis, majori ex parte, carere debeat, aliundè tamen facilè damnum recuperat, ejuſque vita eſt in Eccleſiâ Dei fœcundior, & utilior ad ædificationem & ſalutem multorum.

CAPUT XII.

Differentia inter animam directioni ſpiritûs principalis ſubjectam & animam illi non ſubjectam; in hac pleraque opera naturalia, in illa omnia ſupernaturalia; ſinè illo ſpiritu manet anima inſtabilis; ubi ille regit, viget ſancta libertas.

Directio ſpiritûs principalis facit omnia opera divina.

ABſque illo ſpiritu principali occupationis & quietis in Deo, non poteſt in animâ eſſe ſtabilitas, & ipſa periclitatur, nè ſinat naturam in omnibus, aut pleriſque operari extrà Deum, abſque mixtione alicujus divini, atque ità fieri poteſt, quod duo in ijſdem officijs, in ijſdem operibus obedientiæ, charitatis, vel neceſſitatis, vitam ſuam tranſigent, & vita unius erit tota, vel majori ex parte naturalis, in oculis Dei quaſi lutum, nullius vel exigui meriti, defectu, quod non fecerit opera ſua in ſpiritû principali, ſed ex impetu naturæ, extrà Deum, ſinendo naturam habere ſuum curſum; & vita alterius erit tota divina, in conſpectu Dei velut aurum purum, & magni meriti, eo quod fecerit ſua opera ſub imperio

Sinè illo pleraque naturalia.

Digitized by Google

perio & directione; & concurrente ſuavi operatione hujus ſpiritûs principalis.

Attamen exteriùs vix apparebit differentia inter unum & alterum; videntur enim æqualiter laborare, ſimul operari; unus tàm benè, ac alter; ubi tamen unus apparebit coràm Deo vacuis manibus, alius meritis plenus; ad unum ex prioribus dicebat Angelus in Apocalypſi, *nomen habes, quod vivas, & mortuus es, non enim invenio opera tua plena coràm Deo meo*; eò quòd nimirùm, coràm Deo nihil eſt plenum, niſi à ſpiritu principali gratiæ ejus, & divini concursûs compleatur, modo jam dicto; alioqui ſola natura operaretur, quæ per ſe non ſufficit ad aliquid plenè faciendum juxtà Dei beneplacitum; nam Dei gratia coöperans & dirigens eſt abſolutè neceſſaria ad hoc, ut facta, dicta, cogitata ſuprà naturam elevet, ſicque Deo grata efficiat.

Sinè differentiâ exteriori.

Apoc. 3. 2.

Sinè gratiâ nil plenum coràm Deo.

Dùm hic ſpiritus non ſtabiliter apud nos manet, ſumus inconſtantes, facilè turbati, & inquieti; ſed ubì manſionem fixam habet, ibi regit domicilium animæ, ibi omnia benè ordinat, ibi ſedat malas paſſiones, compeſcit naturam, domat inclinationes, ſopit vivacitatem ſenſuum, impedit evagationem exteriorum virium, & omnia continet in circumſpectione; ità tamen ut omnes ſenſus, potentias, & membra congruo tempore applicet operi, ſinè notabili reſiſtentiâ alicujus; vel etiam omnem difficultatem fortiter & ſuaviter perſtringit, omnibus animæ viribus ei facilè cedentibus, ejusque ſe directioni quaſi ultrò ſubjicientibus, eò quòd ejus directio ſit valdè ſedata, tranquilla, ſuavis, prudens & diſcreta, quâ ſinit animam ſecum operari, eam ſuaviter alliciendo, intùs roborando, prudentiam inſpirando, manum porrigendo, ſicque ponendo in ſanctâ quâdam libertate, quâ ipſa adjuta coöperatur, quaſi ultrò, & ex innatâ inclinatione, ſed non ſinè ejus directione & concurſu, & conſequenter omnia ſupernaturaliter & divinè.

Sinè ſpiritu principali ſumus inconſtantes in bono, econtrà cum illo.

Spiritus principalis reformat totum hominem fortiter & ſuaviter.

Dat ſanctam libertatem.

CAPUT XIII.

Quomodò ſpiritus principalis dirigat animam in oratione, & etiam extrà, in aliјs operibus; ipſe temperat paſſiones, &c. cauſat in illâ magnam capacitatem ad vitam activam, in omnibus prædominans, cum magno fructu.

SIcuti, durante oratione, omnia objecta, imaginationes, &c. in illo principali ſpiritu (tamquàm præſente, coöperante, dirigente Deo,

Operationes ſpiritûs in oratione.

 cum

Digitized by Google

cum ſubjectione animæ ad ipſum) vel attrahuntur, vel relinquuntur, pro ut tunc meliùs videtur convenire, & eſſe Deiforme, vel non; idque cum ſuavi attractione, vel non attractione, cum reverentiali reſpectu ad Deum, & attentione, quantum, & quò uſque ſpiritus ille principalis, ſeu Deus tolerat, ſeu permittit, vel non, cum tranquillâ diſcretione, & promptâ reſolutione ad unum vel aliud; eò quòd anima tunc ſtabiliter videatur diſcernere, quid ſibi conformiter Dei beneplacito conveniat, vel non conveniat; quaſi uno ictu oculi videns, quid ſit melius.

Quomodò extrà orationem eum ſequi liceat.

Ità etiam extrà orationem videtur anima illum ſpiritum facilè & ſuaviter poſſe ſequi, in omnibus agendis & omittendis; ſi tantùm velit parum attendere, nè ſe nimis vivaciter ad aliqua opera, vel creaturas extrovertat, ſed ſemper animo tranquillo reſpiciat ad ſpiritum & beneplacitum Dei, qui permittit, ut ſuo tempore vacet negotijs neceſſarijs, vel ſtatum ſuum decentibus.

Spiritus principalis eſt ſocialis, relinquit animæ libertatem magnam.

In Superiore eſt utilis.

Ad omnium ſatisfactionem.

Et cum ille ſpiritus non multùm intimè trahat, nec ità perceptibiliter in animâ operetur, ſed ſit valdè ſocialis, comis & accommodabilis, anima potitur magnâ libertate, eſt ſibi in omnibus præſens, in paſſionibus moderata, æquanimis, & ſedata in omni ſuo agendi modo; ſicque omnia facit cum ſatisfactione omnium, & conſequenter eſt capax facere magnum fructum in omni converſatione ſuâ, ſivè ſit ſuperior, ſivè inferior; omnes enim libenter agunt cum illâ, libenter eam audiunt, ejuſque conſilia & exempla ſequuntur; imò multi anhelant talem habere ſuperiorem, vel ejus directioni ſe conformare: talis uno verbo plus proficit, quàm alius cum centum; illa facilè concordat diffidentes, inſtruit amicabiliter ignorantes, leniter conſolatur mœſtos, prudenter ſublevat afflictos, quietat modeſtè inquietos, uno verbo omnibus omnia facta eſt, ut omnes Deo lucrifaciat, propter quod etiam ab omnibus diligitur, eò quòd noverit valdè diſcretè converſari cum humanitate, benevolentiâ & longanimitate, nemini moleſta, importuna, aut variabilis, ſed pacifica, affabilis, charitativa, benigna, & obſequioſa; pro ut in præcedentibus adhuc diximus.

CA-

CAPUT XIV.

Quomodò in illo ſpiritu principali, omnes afflictiones corporis, & animæ accipere & ſuaviter ſuſtinere poſſimus; etiam cum amoroſâ converſione ad Matrem amabilem; bonum etiam eſt, pati in Spiritu Chriſti, vel ſicut animæ in Purgatorio, cum filiali refugio ad Deum, ut illi ſatisfiat.

DUm alicui advenit aliquid patiendum, etiam in corpore, id etiam poteſt & debet acceptare, & ſuſtinere in tali ſpiritu, cum magnâ tranquillitate; v. g. anima Deum amans percipiens aliquam pœnalitatem, vel afflictionem, ſeſe ad eam convertit, quaſi in præſentiâ Dei immittentis vel permittentis, conando efficere, ut reſpectus reverentialis ad Deum, & ſimplex occupatio in eo ſemper prædominetur; ità ut animam quaſi puderet conqueri, & invitè pati, cum videat ſpiritum Dei ſibi tàm præſentem, qui iſtam paſſionem, pœnalitatem, afflictionem, adverſitatem, tentationem, infirmitatem, ex infinitâ & verè paternâ dilectione per divinam ſuam Providentiam ordinavit, ei immiſit, vel permiſit: quapropter ſe quaſi captivam tradens, manet introverſa ad ſuum Dilectum, vel etiam ſimul ad Matrem amabilem, & omnia iſta conatur ſuſtinere in Deo, & quaſi ad ubera iſtius amantiſſimæ Matris, imò corpus etiam ſe ad hoc componere videtur, ut illud flagellum per illos, vel per alios ex eorum ordinatione, & coràm eis ſuſcipiat corde humiliato & amoroſo; quemadmodùm puer interiùs humiliatus ſe diſponit ad placandum Patrem vel Matrem, mediante flagellatione, vel pœnitentiâ aliquâ; vel etiam quamcumque pœnalitatem quaſi cæcè acceptando, relinquendo cauſam Deo notam, etſi ſibi ignotam, cur Deo placeat hoc ſibi immittere; vel etiam cum ſuavi ſui ad Deum vel Matrem amabilem converſione, quatenùs eorum auxilio freta omnia Deiformiter poſſit tolerare; vel etiam inſtar pueri infirmi in ſinu Matris, eam reſpiciens & ſupplicans pro auxilio, agnoſcendo Matrem ſibi ſatisfacere, &c.

Quomodò patiendum in ſpiritu principali.

Sinè querimoniâ.

Omnia ſuſcipiendo ab amore Dei.

More filij ſuſcipientis flagel.

Eſt etiam valdè bonum, utile, & perfectum; quod anima ſatagat ſuas afflictiones ſuſtinere in ſpiritu Chriſti, exemplo Apoſtoli, qui ſic videbatur pati, dùm dicebat, *Chriſto confixus ſum Cruci*; ubi ecce, in omni ſuâ perſecutione, afflictione, anxietate, flagellatione, pœnâ, tormentis ſibi accidentibus, vel inflictis, ſibi perſuadebat ſe juxtà, & unà cum Chriſto, Cruci eſſe affixum, quod ſibi reputabat magno honori, & pro ma-

Modus patiendi in Spiritu Chriſti.

Gal. 2. 19.

Digitized by Google

gnâ fælicitate, eò quòd ſic poſſet utcumque conformis fieri imagini Filij Dei; undè etiam dicebat, *abſit à me gloriari, niſi in Cruce Domini mei Ieſu* Gal. 6. 14. *Chriſti.*

Modus patiendi in Purgatorio. Poſſumus etiam in patiendo imitari animas Purgatorij, quæ velut amantiſſimi Dei filij flagellum pœnarum libenter ſuſcipiunt à manu divinæ Iuſtitiæ, ſinè ullâ impatientiâ, cum agnitiòne, quod benè meruerint; atque ità ſeſe ad pœnas diſponunt, cum filiali, & reverentiali ad Patrem cæleſtem ſubjectione: lamentatio illarum eſt lamentatio amoris; vident enim id decere divinam Iuſtitiam & ſic ad hoc ſe componunt, ut pœnas illas in voluntate Dei, & juxtà ejus beneplacitum ſuſtineant, ad Deum, ad Matrem amabilem, vel alios ſuaviter converſæ, à quibus aliquod ſublevamen præſtolantur, donec Iuſtitiæ divinæ uno vel altero modo ſit ſatisfactum; Ibi animæ volunt ſatisfacere. nec aliter vellent Cælum ingredi, antequàm Patrem cæleſtem plenè placaverint: & reverà quiſquis filiali ergà Deum amore fertur, dicto modo etiam diſcet pati quælibet adverſa, idque in Spiritu Filij Dei, animo reverentiali, grato & amoroſo ad æternum Patrem, aſſueſcendo Quo Spiritu Chriſtus paſſus ſit. omnem pœnalitatem, infirmitatem, afflictionem ſubire, ſicut Chriſtus id fecit cum reverentiali ſpiritûs converſione ad Patrem ſuum.

CAPUT XV.

Hic ſpiritus principalis eſt ſpiritus Chriſti; ubi dominatur, facit animam Chriſto conformem in operando & patiendo; undè illa operatur & patitur, in Spiritu Chriſti, in omnibus reverentialiter & amoroſè ad Deum converſa.

quomodò imitari liceat Spiritum Chriſti. QUandò anima in hoc exercitio fideliter progreditur, ulteriùs inſtruitur, quod prædicto modo agere & pati, ſit in ſe ad vivum exprimere Spiritum Chriſti, ut qui in tali etiam ſpiritu videatur fuiſſe opeMatt. 11. 25. ratus, & paſſus: dùm æterno Patri gratias ageret, dicendo, *confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis,* Chriſtus ad Patrem ſemper ſuaviter converſus. addebat; *ità Pater, quia ità fuit placitum antè te*; tali modo dicebat, *ego, quæ placita ſunt Patri meo, facio ſemper*; alibi, *qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum*, Ioan. 8. 29. ut nobis innueret, quod in omnibus agendis ſemper amoroſè & ſuaviter reſpiceret ad beneplacitum ſui Patris; in quo, & in cujus actuali reminiſcentiâ operabatur, imò ſinebat ipſum in ſe omnia ſua opera Ioan. 14. 10. operari, pro ut fatetur his verbis, *Pater in me manens ipſe facit opera*; quid ni

ni ergò & nos ſimiliter nos gerere poſſemus, ut animo amorosè & reverentialiter ad æternum Patrem converſo aſſueſcamus facere opera noſtra, vel potiùs ſinamus ipſum omnia in nobis & nobiſcum operari, cum reverentiali attentione ad ipſum? **Sinebat Patrem in ſe operari.**

In ſuâ paſſione Salvator noſter ſimiliter erat converſus ad Patrem ſuum; ideò dicebat, Pater, *ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum fiat voluntas tua*; pendens in Cruce clamabat ad Patrem, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*? & in ſignum, quod totâ vitâ, ſivè operando, ſivè patiendo, nollet ad aliud attendere, quàm ad Patrem ſuum, ejuſque beneplacitum, cum duodennis quæſitus & inventus eſſet à Matre & Patre putatitio Joſepho, dicebat illis, *neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe*? tali modo tota Chriſti vita erat continua divini beneplaciti adimpletio, tùm in operando, tùm in patiendo, cum reverentiali, & amicabili aſpiratione ad ipſum. **Matt. 26. 42. Et pati. Matt. 27. 46. Chriſti vita continua adimpletio voluntatis Patris. Luc. 2. 49.**

Similiter pia anima, quæ jam non ſolùm cum Deo id, quod Deiforme eſt, operatur, & ſuſtinet, ſed etiam in Deo, in Spiritu Chriſti, id eſt, ſicut Chriſtus, cum adoratione, gratiarum actione, reverentiâ, & amoroſâ cordis converſione ad Deum ut in ſe manentem, operantem, patientem, illa inter operandum, vel patiendum eſt abſorpta, vel occupata in Deo, & ibi operatur vel patitur cum ipſo eſſentialiter, quidquid aliàs etiam Deiformiter & divinè operabatur vel patiebatur, pro ut alibi dictum eſt; addendo nimirùm actualem & ſtabilem ad Deum intuitum; imò reverentialiter quieſcit in Deo, qui ex ineffabili dignatione eam ſecum ſinit operari; & ſic ipſa vivit in eo, quaſi cum reverentiâ in ipſo reſpirans; in omnibus facilè erumperet in hæc verba, *ità Pater, quia ità placitum eſt antè te*; ſi ei ingruat aliqua præſſura, vel adverſitas, dicit, *ità Pater, quia ità placitum eſt antè te*; *ſi vis ut bibam calicem iſtum, fiat voluntas tua*, &c. idque fit cum ſuavi acclinatione, inſtar filij chariſſimi ad Patrem ſuum. **Modus vivendi & patiendi Deiformiter in Deo. Matt. 11. 26. Cum converſione ad Deum inſtar filij ad Patrem.**

Ad tales dicebat Apoſtolus, *quia autem eſtis filij* Dei, *miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba, Pater*; igitur in talibus operatur ſpiritus Filij Dei omnia, & patitur omnia, eo modo, quo Chriſtus operatus & paſſus eſt; dico, cum ſuaui & reverentiali inclinatione ad Deum; uno verbo in tali animâ nihil aliud reſonat, quàm, *ità Pater, quia ità placitum eſt antè te*; ſi cum Dei gratiâ aliquid faciat, quod novit Deo placere, dicit, *ità Pater, quoniàm ità placitum eſt antè te*; ſi ambulet in lumine, præventa in benedictionibus dulcedinis, &c. ait, *ità Pater, quia ità placitum eſt antè te*; ſi econtrà verſetur in amaritudine, tædio, deſolatione, ariditate, internâ caligine, in internâ vel externâ afflictione, primum & ultimum ejus verbum eſt, *ità Pater, quia ità placitum antè te*: ſi audiat caſus adverſos aliorum, infortunia, &c. non omittit dicere, *ità Pater, quia ità* **Gal. 4. 6. Quo ſenſu in animâ vivat & patiatur Chriſtus. In dulcedine, & in amaritudine.**

placitum eſt antè te; tali modo omnia ad Deum convertendo cum reverentiâ; atque ità novit omni tempore & loco Deum adorare in ſpiritu & veritate, pro ut Chriſtus verbo, & exemplo docuit faciendum, in omnibus ſuaviter inclinata, ut in Deo, id eſt, cum actuali, ſuavi & amoroſâ ad Deum converſione operetur, vel patiatur, quidquid eſt Deiforme.

Quomodò anima vivat & patiatur in Deo.

CAPUT XVI.

Oratio vigilantis ſeu ſomniantis quietis in Deo; in quâ anima in Deo quieſcens, ſe etiam ad Matrem amabilem, vel aliquid aliud liberè poteſt convertere, ſub directione ſpiritûs, ſinè præjudicio quietis in Deo; quomodò ſe tunc habeat, nec alias imaginationes attrahat.

Oratio vigilantis quietis in Deo.

Anima in hâc praxi adorandi Deum in ſpiritu, fidelis, aliquandò tempore orationis ſeſe deprehendit hoc modo: videtur trahi ad magnam quietem, quaſi divinâ Eſſentiâ imbuta & circumcincta, vel in Deo concluſa, ſic in ipſo ſuaviter quieſcendo, ſed non obdormiendo; niſi fortè quiſpiam iſtam diſpoſitionem mallet vocare ſomniantem quietem; eò quòd ex unâ parte ſit vera quies, ſeu fruitio quietis in Deo; ità ut ſecundùm corpus non ſentiat, ubi vel quomodò ſit, niſi faciat expreſſam reflexionem, & ſic reſpirat in Deo, ibique eſt tota occupata, quaſi in Deo dormituriens, inſtar pueri in ſinu matris blandè excepti, benè ſatisfacti & ſatiati; aliundè, non obſtante, quod vis imaginativa videatur ligata, & imperio ſpiritûs ſubjecta; tamen videtur eſſe in poteſtate animæ tunc admittere, vel permittere, quævis objecta pro ſuo libitu & arbitrio, abſque impedimento iſtius quietis in Deo.

Cum ſatisfactione animæ.

Et libertate ſpiritûs.

Spiritus itaque, ſeu voluntas rationalis tunc videtur potiri plenâ libertate faciendi, quidquid vult; ſubindè adducit aliquam reflexionem ad Matrem amabilem, & anima ad eam filialiter, ſuaviterque inclinata, manet unà cum illâ requieſcens in Deo, inſtar pueri in ejus ſinu vel ad ubera, qui ibi ab illâ dulciter tractatur, & fovetur, vel anhelat ſic apud ipſam eſſe, vel manere, & unà quieſcit in Deo cum magnâ innocentiâ, ſinè præjudicio iſtius immediatæ quietis in Deo.

Aliquandò cum affectu ad Mariam.

Sinè impedimento quietis in Deo.

Tali modo poteſt tunc ſpiritus etiam aliqua alia admittere, puta, alloquium vel inclinationem ad Angelum cuſtodem, ad aliquem Sanctum, ad Ieſum ſpinis coronatum, flagellatum, cruci affixum, reſurgentem, &c. vel

Etiam ad alia.

Digitized by Google

vel alia Deiformia; quæ objecta ſimpliciter ſinè vivacitate attracta, & ſinè adhæſione citò dimiſſa nullatenùs impediunt illam quietem in Deo; nam illa quies in Dilecto, ſeu ſpiritus quietis in Deo habet ſe ad illa objecta permiſſivè, & accommodativè, ea admittendo pro libitu.

Dùm anima percipit, eſſe tempus ceſſandi, & ſpiritus quietis indè tantillum attædiari incipit, debet illicò illa objecta dimittere, alioqui experitur illam quietem in Deo evaneſcere: aliquandò tamen videtur anima adhuc profundiùs intrahi; ità ut ferè ſit extrà perceptionem ſui corporis, nec videtur eſſe in ejus poteſtate, ſe tunc movere; hæc ſupermagna quies ſubindè durat ad mediam horam, vel plus, ſed poſteà non remanet tàm intima, vel magna; ſed equidem, reliquo orationis tempore, manet anima quaſi immota, ſed cum plenâ perceptione ſui corporis & aliorum præſentium, licet minùs vivaciter.

Quamdiù ſpiritus pacis iſta permittit.

Supermagna quies animæ in Deo.

In illâ permagnâ quiete, videtur ſubindè phantaſia aliquid impertinens velle intrudere, per modum naturalis ſomnij; ſic, dùm anima eſt ità introtracta, abſque eo, quod poſſit cogitare, ubi ſit; ità ut potentiæ ſpirituales videantur ſolæ operari ſinè colluſione ſenſualium, tùm potentia imaginativa pingit aliqua alia, producendo aliqua phantaſmata, quæ tamen facilè prætervolant inſtar levium nubecularum, quæ ſereno Cælo orientes, ſtatim tranſeunt, vel evaneſcunt, vix ullo advertente; nam ſimili modo, Spiritus in Deo quieſcens, ad illa phantaſmata non attendit, ſed ſinè reflexione dimittit; ſubindè tamen contingit, quod licet phantaſia à ſpiritu excludatur, ipſa tamen pergat ludere luſum ſuum, & indè pro aliquo tempore quaſi naturale ſomnium intermiſceatur, quaſi ex naturâ ſuâ ſuas ſpecies impreſſas obvolvendo, & renovando, cum ſemper velit agere, utpotè agens neceſſarium, ſicut ignis naturaliter eſſe non poteſt ſinè actione.

In illâ quiete aliquandò phantaſia ludit.

Sinè reflexione ſpiritûs.

CAPUT XVII.

Oratio ſatisfactionis in Deo, ſinè magnâ intimitate; corpus ſe accommodat ſpiritui, nec ſentit ſuum incommodum, nec aggravat animam: quomodò hoc fiat.

Anima devota in oratione aliquandò ſatis facilè ſe novit in Deo occupare, & tempus videtur illi citò tranſire; ac licet quies in Deo non ſit adeò magna, uti in præcedenti dictum eſt; tamen ſpiritus fruitur plenâ ſatisfactione, & ſic benè poſſet, & vellet longo tempore Deo vacare; corpus etiam manet immotum, ſicut ſpiritus; videtur enim tunc ètiam

Oratio ſatisfactionis in Deo.

natura

Digitized by Google

Cum ſatisfactione naturæ, & ſpiritûs in Deo.

natura participare aliquam ſatisfactionem, & conſolationem, unà cum ſpiritu in Deo quieſcendo; & ſic illa etiam tunc non attrahit corpus; quod etiam tùm videtur eſſe levius, & quaſi à ſpiritu tantiſper ſuſpenſum & alleviatum, eo ferè modo, quo res aliquæ per aërem vel ignem fiunt leviores, nec ità gravitant; nam ſimili modo in tali diſpoſitione, ſpiritus igne ſuavis & ſtabilis amoris in Deo quaſi ſuaviter ſursùm exardeſcens, & ſe modeſtè quaſi in altum erigens, videtur pariter & corpus ſuaviter ſecum trahere, & ſic majorem in eo levitatem cauſare, undè venit, quod non ità gravitet, nec ſpiritum aggravet, ſed ejus tractui ſe accommodet, quaſi tendens ſursùm, ut ſequatur ſpiritum.

Corpus tùm non aggravat animam.

Non ſentit ſuum incommodum.

Ideò licet corpus tunc incommodè decumbat, vel ſedeat, vel genuflectat, non tamen ſe movet, ſed inſtar ſtatuæ, immotum manet, ſivè ſtans, ſivè ſedens, ſivè decumbens, ſivè genuflectens, pro ut erat, dùm à ſpiritu fuit arreptum, vel in diſpoſitione, in quâ à ſpiritu ſubitò poſitum erat in principio iſtius amoroſæ exæſtuationis ſpiritûs; quandò nimirùm corpus quaſi immobiliter extenditur, quaſi alicui rei affixum, &c. tunc corpus nihil vel parùm ſentit incommoditatem; eò quòd tunc ſpiritus indè divertat imaginationem, nè incommodum apprehendat; vel etiam, eò quòd tunc ſpiritus in Deo quaſi ſursùm volans, etiam corpus ſecum tantillum elevet, ſicque à perceptione incommodi immune ſervet.

Vndè hoc fiat.

Nonnè experimur, quomodò ignis alicui rei incluſus, eam ſursùm agat? ardor febrium facit infirmum quaſi fortiorem, ità ut ſuam incommoditatem non ſentiat: ſimiliter dùm ignis divini amoris ſe ex animâ diſpergit, & corpori communicat, tùm non eſt mirum, quod corpus videatur alleviari & ſursùm tendere; nec eſt mirum, quod ſua incommoda non ſentiat; nam exoptabili febri & languore ardentis amoris eſt correptum; quarè, licet ſcriptum ſit, *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit ſpiritum multa cogitantem*; id tamen tantùm eſt verùm, in quantùm corrupta natura per peccatum in illo prædominatur; quocircà quò anima per Dei gratiam & virtutum exercitia magis exſtinguit fomitem peccati, & magis exterminat corruptionem naturæ, tendendo paulatim magis & magis ad primam innocentiam; ità ut non jam ampliùs vivat ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum, eò etiam corpus videtur magis ſpiritualizari, adeoque minùs aggravat ſpiritum, eumque in reverentiali & amoroſâ ſuâ ad Deum converſione, vel cæleſtium rerum contemplatione minùs impedit; ſicuti econtrà, quò anima vivit ſenſualiùs, & deſideria corruptæ naturæ magis ſequitur, eò corpus eam magis gravat, ad terrena inclinat, ſpiritum deprimit, & à bonis cogitationibus, ac pijs deſiderijs retrahit.

Sap. 9. 15.

Corpus gravat ratione peccati.

Levitat ratione virtutis & gratiæ.

Porrò

Porrò licet corporis habilitas, cæteris paribus, animæ ſpirituali ſemper ſit magis propria; maximè tamen tempore orationis, de quâ agimus in præſenti; ac proindè corpus in ſtando, vel genuflectendo, vel incommodè decumbendo, vel ſedendo, etiam per plures horas, poteſt tùm perſeverare, abſque eo, quod pro illo tempore notabilem moleſtiam ſentiat; ubi alio tempore ægrè ad unum miſerere poſſet durare abſque motu, vel alia ſituatione.

Inſenſibilitas corporis in oratione.

CAPUT XVIII.

Quomodò in prædictâ oratione anima ſe liberè poſſit convertere ad Matrem amabilem, vel aliquid aliud, cum permiſſu ſpiritûs principalis amoris ergà Deum.

VTi diximus, anima in prædicto modo orandi, eſt occupata in Deo; ità tamen, ut retineat plenam libertatem quævis objecta Deiformia pro ſuo beneplacito admittendi, ſinè præjudicio, vel impedimento ſuæ quietis in Deo: ſubindè tenet ſe in ſuavi inclinatione & amoroſo acceſſu ad Matrem amabilem, vel aliquid aliud in Deo charum & honoratum, ſinè obſcuratione ſpiritûs vel deficientiâ iſtius quietis, cum magnâ pace internâ & innocentiâ.

Libertas ſpiritûs in oratione.

Videtur id ferè fieri ſicut cum lactante, qui in ſinu & ad ubera Matris requieſcens cum plenâ ſatisfactione, & jucundâ fruitione Maternarum blanditiarum, abſque ſui motione, adhuc habet oculum apertum ad ſuam nutricem, vel aliquem alium in innocentiâ dilectum; atque eò etiam affectu fertur, licet ideò nolit deſerere ſinum Matris, eò quod principalis ejus quies, dilectio, occupatio ſit circà matrem; quæ etiam diſſimulat, nec ægrè capit, imò gaudet infantem ſuum etiam in aliquâ aliâ re delectari, dummodò ex modo ejus agendi ſit benè ſecura, quod per hoc à ſe non alienetur, nec propter alium, ſinum ſuum vellet deſerere; in quo ipſi ad probam ſervit, quod, dùm eſt periculum iſtius, vel puero datur optio tranſeundi ad alium, id omninò renuat, imò cum majoris dilectionis ſignificatione ſe ad Matrem convertat, ut cætera omnia dimittat, & apud Matrem ſuam maneat, eamque amplexetur; quamquàm puerulus antecedenter etiam in aliis delectaretur, & innocenter ac amoroſè circà alios verſaretur; eò quod illos matri charos eſſe videret, vel etiam illis à Matre commendaretur, & inter manus traderetur.

Tenera affectio ad Mariam in oratione.

Inſtar infantis in ſinu Matris etiam cum alio ſe recreantis.

Sinè præjudicio amoris filialis.

Simili enim modo ſe res habere videtur cum animâ, in dictâ diſpoſitione; ipſa unicè & ſuaviter quieſcit in Deo, dilecto ſuo; principalis ejus occupatio,

Anima principaliter in Deo occupatur.

cupatio, & actiones amatoriæ ſunt circà ipſum; ſed abſque eo, quod ſe indè divertat, adducit in ſpiritu aliquid ſecundùm Deum & in Deo dilectum, vel ad quod ſic diligendum, & amoroſè tractandum interiùs movetur, v. g. ad Matrem amabilem, ad ſacram humanitatem Chriſti, ad puerulum Ieſum, vel aliquid aliud; atque tunc circà hoc occupatur cum magnâ innocentiâ, & ſimplicitate, abſque eo, quod id Deo videatur diſplicere, cum videat animam dilectam ſuam, ſibi intimè affici, ſuiſque in brachijs requieſcere; ità ut meritò cum Sponsâ Canticorum ei dicere liceat, *leva ejus ſub capite meo*, ut ibi quieſcam, *& dextera illius amplexabitur me*: ipſe etiam advertit, quod omnes amoris illius ebullitiones, ſeu excurſiones ad Matrem amabilem, vel ad aliquid aliud, ex ſe fluant, & rurſùs ſimul ad ſe refluant, & in ſe terminentur, in quantùm ipſe vult permittere, & non ampliùs; imò hoc ipſi eſt ità gratum, ſicuti ipſi charum & gratum eſt, quod Matrem ejus amabilem, vel aliquid aliud ſecundùm ejus directionem amoroſè & honorificè proſequamur, præſertim cum ipſe eam nobis aſſignaverit in nutricem, & Matrem gratiæ.

In Mariâ minùs principaliter.

Cum permiſſu ſpiritûs principalis.

Cant. 2. 6.

Omnes affectiones tum ex & in Deo.

CAPUT XIX.

Quomodò anima aſſueta in Deo quieſcere, poſſit facere quæcumque vult; etiam indifferentia trahit in Deum, ſinè periculo extroverſionis; Deus in eâ omnia permittit præter malum, quod ſtatim percipit; quomodò ipſa paulatim redeat ad ſtatum innocentiæ, in quo nullæ res eam impediunt.

QUandò anima in hoc ſpiritu, & modo orationis eſt ritè exercitata, & à Deo præventa; tunc ei dici videtur illud dictum Divi Auguſtini, *ama, & fac, quod vis*; quippè anima ſic in oſculo pacis, inter brachia Dilecti, in amore ergà Deum quieſcens, ſeque ibi modeſtè continens, & ſuaviter occupans, videtur conſtituta in libertate ſpiritûs, ut ſe ad aliquas creaturas (in Deo tamen & Deiformiter) animo innocenti, puro & amoroſo convertat; idque videtur ejus arbitrio & opinioni relictum; neque tùm eſt periculum extroverſionis, vel adhæſionis ad aliquam creaturam extrà Deum; quippè principalis ejus converſio & adhæſio eſt ad Deum, in eo ſic quieſcendo, & per firmam & ſinceram dilectionem tàm cordialiter adhærendo, ut quidquid ipſa ſibi proponit, vel ei proponitur, ſolummodò ſit objectum alicujus extenſionis ſeu ebullitionis divini amoris, qui ad

Amor dat animæ ſanctam libertatem.

S. Aug.

Quo ſenſu.

Extenſio divini amoris ad Deiformia ſinè imperfectione.

Digitized by Google

ad iſtud ebullit, ſeu extenditur tamquàm ad aliquid, Deiformiter, & ſinè imperfectione amabile; imò id fit cum attractione, & refluentiâ in Deum, & ſic Deum amando, facit quod vult; inſtar pueri, de quo non eſt periculum, quod alienabitur à Matre, etſi in ejus ſinu cum aliquo alio ludat, vel ſe ad aliquem alium convertat, vel aliquid aliud juxtà ſuam inclinationem faciat.

Si tunc anima ſe vellet convertere, vel de facto converteret ad aliquid mali, vel nullatenùs Deiforme, id illicò illam quietem in Deo turbaret, innocentia evaneſceret, ſpiritus ſimplicitatem amitteret, & ad multiplicitatem, ariditatem & vivacitatem naturæ rediret; imò anima id ſtatim perciperet; nam ubi anteà in ſpiritu erat quaſi aura ſerena, clara & tranquilla, experitur jam quaſi triſtes aſcendere nubeculas, auram turbari, intellectum obſcurari, ſimplicitatem perire, & omnem quietem, teneritudinem, introverſionem evaneſcere; ità ut jam perceptibiliter ſeſe inveniat in purâ naturâ, niſi tempeſtivè provideat, & quidquid non eſt Deiforme, Deo gratum, vel juxtà ejus permiſſionem, ſtatim ſciat dimittere, non attrahere, & cum ſuavi ſpiritûs diſcretione inadvertenter tranſire.

Converſio ad aliquid non Deiforme facit ſpiritum evaneſcere.

Pia anima id ſtatim ſentit.

Sed quidquid eſt Deiforme, vel per ſpiritûs applicationem, & rectam, innocentem & ſimplicem intentionem poteſt fieri Deiforme (nam videtur tùm in libertate animæ, res indifferentes facere Deiformes, utpotè cum Dilectus jam eas animæ fidere videatur) animam non impedit; ſed omnia vertuntur ad ſimplicitatem in Deo, ità ut illis anima uti vel frui poſſit abſque ullo impedimento ſuæ principalis occupationis in Deo.

Deiformia non impediunt animam.

Midas vertit omnia in aurum.

Fabulantur Poëtæ, quod quidquid olim *Midas* attingeret, ex ſingulari gratiâ & favore Deorum, verteretur in aurum puriſſimum; ſic etiam Deus ex ſpeciali beneficio, videtur tali animæ conceſſiſſe, ut omnia, ad quæ vult extendere manum, fiant Deiformia, modò de ſe ſaltem ſint indifferentia; cujus ratio eſſe poteſt, eò quòd tales animæ paulatim redeant ad ſtatum innocentiæ per peccatum Adami amiſſum; idque magis & magis, quò in gratiâ, & perfectis virtutibus plus proficiunt; quocircà ſicuti in ſtatu innocentiæ erat in libertate hominis omnia non prohibita facere Deiformia; ità etiam certo modo videtur relictum libertati harum animarum, omnia, ſaltem indifferentia, ſinè impedimento ſpiritûs, vertere in Deum, in Deo contemplari, amare, frui; atque hoc ſenſu, *diligentibus Deum omnia coöperantur in bonum*; hoc ſenſu, *ama, & fac, quod vis.*

Indifferentia poſſunt verti in bonum.

Anima tendens ad ſtatum innocentiæ.

Et omnia coöperantur in bonum.

Rom. 8. 28.

Nolo tamen hîc dicere, quod in ſtatu naturæ corruptæ gratia Chriſti non ſit efficax, vel quod ſit relicta libertati voluntatis rationalis, quaſi in ejus poteſtate, pro ut erat in ſtatu innocentiæ, ſeu naturæ integræ, ſed ſolummodò, quod, dùm anima per fidelem coöperationem cum Dei

Digitized by Google

Perfectis à Deo plus fiditur.

gratiâ, ità creſcit in amore Dei, ut in eo incipiat quieſcere, reſpirare, vivere, ei tunc plus indulgeatur, plus fidatur, majorque libertas ſpiritûs adveniat, ut in omnibus proficiat, creaturis ſinè imperfectione utatur, & omnia in bonum convertat.

CAPUT XX.

Quomodò anima etiam extrà orationem in Deo poſſit quieſcere, reſpirare, vivere, & omnia cum libertate ſpiritûs facere, ſinè periculo extroverſionis. In quo conſiſtat hæc libertas.

Gal. 5. 25.

Quomodò anima extrà orationem poſſit in Deo quieſcere.

QUandò anima jam didicit ſtabiliter *ſpiritu vivere*, *ſpiritu & ambulare*, tunc, etiam extrà orationem poteſt ſervare illam quietem in Deo, quamquàm non tàm intimam, nec quaſi cum abſorptione, ſed ſemper cum ſuavitate animi ad Deum, imò in Deo manendo, reſpirando, ſe occupando, vel, ut minùs ad hoc aſpirando, & propendendo: id tamen ordinariam ejus converſationem, vel neceſſarias, aut ſuum ſtatum decentes occupationes non impedit, ſed potiùs conducit, ut illis vacet cum majori libertate ſpiritûs, innocentiâ, & ſinceritate, ac animo ſuaviter & tranquillè ad Deum propenſo; atque ità anima non ſolùm divinè & Deiformiter vivit, uti alibi dictum eſt, ſed etiam in Deo, id eſt, cum quiete in Deo, & quaſi in ipſo vivendo.

Sinè impedimento externæ occupationis.

Qui vivit in Deo, habet libertatem ſpiritûs.

In hoc ſtatu videtur anima hoc adhuc ampliùs habere, quàm in ſolâ vitâ Deiformi & divinâ; quod jam non videatur ità limitata, coarctata, aut anguſtiata in agendis vel omittendis; nam in iſtâ vitâ videbatur Deus ſolus eam limitare, & in omnibus agendis & omittendis ponere modum & præciſos terminos, quos ipſa fideliter & punctualiter ſequebatur; ſed in hâc vitâ, videtur ei Deus plus fidere, ejuſque arbitrio plus indulgere; ità ut in eâ verificetur illud Apoſtoli, *ubi Spiritus Dei, ibi libertas*, quam libertatem ipſa ſequens novit indifferentia in Deo facere, & juxtà ejus determinationem ac placitum videtur ſibi Deus complacere; id quod erat de ſe indifferens, fit Deiforme, ſeu conforme Dei beneplacito, & divinum, eò quòd Deus concurſu ſupernaturali in illud influat.

2. Cor. 3. 17.

In quo conſiſtat hæc libertas.

Deus agit cum animâ ut cum Sponſâ, cui in principio non ità fidit.

Accipe ſimilitudinem; Sponſus aliquis antequàm longo temporis experimento noverit, & probatam habuerit fidelitatem & purum ac ſincerum Dilectæ ſuæ ergà ſe amorem, non multùm illi fidit, ipſa debet ſe conformare præciſè illis, quæ ſcit Sponſo placere, nec in minimo ab illis auderet

ret deflectere, quin potiùs optaret, ut Sponſus omnia ſecum, & ipſa cum illo faceret, juxtà ejus beneplacitum, nè, vel in minimo, illi det malæ ſuſpicionis umbram; ad aliquid indifferens non audet ſe convertere, & in multis vix ſcit, quid facere, vel omittere; ſed quandò Sponſo jam ſatis perſpecta, & probata eſt fidelitas, ſincerus amor & diſcretio Sponſæ, tunc incipit ei plus fidere, abſque ullâ ſiniſtrâ ſuſpicione, dando illi majorem libertatem, & ejus diſcretioni plus tribuendo; ac licet eam videat facere aliquid indifferens, vel ad aliquid aliud, vel alias perſonas habere aliquam inclinationem, vel exhibere aliquem affectum, nihil indè mali ſuſpicatur; ſcit enim omnia fieri cum fidelitate & ſinè præjudicio debiti & principalis ejus ergà ſe amoris, adeoque non malè capit, ſed potiùs ei dat ad iſta confidentiam, & gaudet id videre.

Perſpecta fidelitate plus fidit.

Dat majorem libertatem.

Idem contingit in puero, quem Pater in juventute continet intrà certos limites & regulas, ac præcepta etiam in rebus minutioribus, ſed poſteà videns eum prudenter, modeſtè & diſcretè ſe gerere; plus ei fidit & indulget, multa relinquens ejus diſcretioni, & conſcientiæ, quam novit timoratam: ſimili modo res ſe habet inter Deum & animam devotam in diſpoſitione, de quâ hîc agimus.

Pater filio benè facienti paulatim plus fidit.

Dat majorem libertatem.

CAPUT XXI.

Anima aſſueta in Deo vivere, reſpirare, quieſcere, novit benè uti creaturis, vivit ſinè anxietate, facit omnia cum libertate ſpiritûs, ſinè adhæſione.

DUm anima ſic in puro & fideli Dei amore profecit; tùm etiam meliùs novit uti creaturis, ſinè imperfectione, ſinè ſenſuali adhæſione; ubi anteà in comedendo, bibendo, loquendo, converſando, operando ſæpiùs erat valdè anxia, & ſcrupuloſa, an nimis parùm, vel nimis multum, an hoc vel illud naturæ nimis commodum, an hoc vel illud eam ab amore Dei non impediret, an Deo placeret, &c. ità ut nuſquàm eſſet ſinè timore, an hoc vel illud eſſet Deiforme, vel non; undè veniebat, quod à multis faciendis, à functione officiorum, & externis negocijs ſummoperè abhorreret, eò quòd iſta omnia ei viderentur eſſe impedimenta divini amoris, vel profectûs ſpiritualis: ideoque optabat ab omnibus illis expedita vivere in ſolitudine, abſtracta à ſæculo; eò quòd exiſtimaret ſe aliter non poſſe ſecurè & ſtabiliter vivere vitam Deiformem & divinam; at jam edocta in Deo quieſcere, &, amore fideli, ſincero ac ſtabili,

Pia anima in initio eſt anxia in omnibus agendis.

Horret ab externis occupationibus.

Docta vivere in Deo fruitur majori libertate.

bili, Sponſo ſuo cæleſti adhærere, aſſequitur majorem in omnibus, ſpiritûs libertatem.

Sinè anxietate utitur creaturis.

Hinc provenit, quod in parvis rebus non ſit ampliùs tàm anxia; facit ſuo animo libero & reſoluto; etiam indifferentia novit cum ſimplicitate facere in Deo; ſcit etiam creaturis uti in Deo cum innocentiâ, & continuâ inclinatione, & piâ reſpiratione ad Dilectum ſuum, & in Dilecto ſuo; imò illis ſuaviter fruitur in Dilecto ſuo, & Dilecto ſuo in illis, ſinè differentiâ, ſinè imperfectione, ſinè impedimento puriſſimi ſui ergà Dilectum amoris.

Sancti norunt uti creaturis ſinè imperfectione.

Tali modo Sanctiſſimus Pontifex *Leo* & alij plurimi utebantur ſuo ſtatu pontificali; Sic Sanctus *Zeverinus* tenebat menſam Epiſcopalem, benè & opiparè inſtructam, ad eam minorem habens adhæſionem, quam quidam bonus Eremita in portione piſorum, pro ut divinitùs revelatum eſt eidem Eremitæ, qui fuerat ſcandalizatus videndo unum Epiſcopum, qui reputabatur Sanctus, tàm opiparam parare menſam; ſimiliter contingit in animâ libertatem ſpiritûs adeptâ, in omnibus naturæ & ſenſibus convenientibus & arridentibus; circà quæ jam liberè & reſolutè ſe gerit; ſubindè ſecundùm apparentiam exteriorem, unà cum alijs aliquâ recreatione fruendo, & internis *delicijs*, etiam in uſu, guſtu, olfactu, tactu, viſu, auditu aliquarum rerum *affluens*, ſed non aliter, quam *innixa ſuper Dilectum ſuum*, & amoroſè in eo quieſcens.

Delectantur creaturis in Deo.

Cant. 8. 5.

CAPUT XXII.

Vti Beati in Cælo ſuis ſenſibus utuntur, recreantur in creaturis, &c. ſinè impedimento amoris beatifici, ità etiam perfecti adepti veram libertatem ſpiritûs, ſciunt omnia ſua facere, creaturis uti, &c. ſinè impedimento quietis in Deo.

Beati habebunt delectationem ſenſuum, ſinè impedimento quietis in Deo.

SImili proportionaliter modo, exiſtimo fieri cum Beatis in Cælo; qui æternaliter in Deo quieſcent, ſed hic amor quietinus in Deo illos non impediet, quò minùs etiam ſecundùm potentias corporales, delectentur in creaturis, cum tenerrimo amoris affectu ergà ſacram humanitatem Chriſti, ergà Matrem amabilem & alios Sanctos, in quibus etiam ſpeciali fruentur gaudio; quippè hoc gaudium, iſte amoris affectus, iſta delectatio optimè conſiſtent cum quiete in Deo & amore beatifico ſummi Boni; ſiquidem Beati per lumen gloriæ clarè & intuitivè Deum videntes, perſpicuè etiam cognoſcent, quod omnes creaturæ quantumcumque pulchræ,

Eorum notitia creaturarum in Deo.

chræ,

Digitized by Google

chræ, excellentes, delectabiles, à ſummo Bono emanent; & ab eo in eſſe, & operari dependeant, ob finem ab ipſo intentum, nempè ex æterno, infinito, immenſo Dei amore ergà Electos; niſi enim ſoret propter hos, Deus non indiget ullis creaturis, nec feciſſet Cælum Empyreum, ſeu Paradiſum cæleſtem, niſi propter Electos, quoniàm ſolus ſibi ſufficit ipſe, ſicut ab æterno ſuffecit.

Cælum creatum propter Electos.

Cognoſcentes etiam Electos eſſe creatos propter Dei beneplacitum, ad quod ultimatè omnia referenda, juxtà quod quidam Deo confitentur, *propter voluntatem tuam erant & creata ſunt omnia*, fruuntur creaturis, ſacrâ Chriſti humanitate, Matris amabilis ac mutuo jucundiſſimo conſortio, velut rebus juxtà gradum & perfectionem ſuam ex Deo fluentibus, & ad Deum refluentibus; vel potiùs fruuntur omnibus iſtis in Deo, ſinè ullo periculo propriæ quæſitionis, vel adhæſionis vel quietis in illis tamquàm in fine aliquo, abſque periculo proprij amoris, vel impedimento amoris beatifici; nam clara illa cognitio, ex quo, propter quid & quâ intentione omnes creaturæ ſint, facit, ut Beati creaturas in Deo, & Deum in creaturis ament, & fruantur.

Apoc. 4. 11.

Omnia creata propter voluntatem Dei.

Beati delectantur creaturis finè propriâ quæſitione.

Eodem modo etiam pia anima, de quâ hîc agimus, manet quieſcens in Deo, ad eum ſtabiliter introverſa, & acquiſito paulatim majori & majori lumine adjuta, jam clarè incipit cognoſcere, à quo, ad quem, & quo fine omnia ſint creata, & indè didicit ijs uti in eorum principio, & fine, ac in intentione iſtius principij, & finis, ſcilicet, ipſius Dei, & in intentione Dei, ſinè differentiâ, ſinè propriâ ſatisfactione, ſinè impedimento ſuæ ſtabilis quietis in Deo.

Perfecti eos in hoc imitantur.

Atque ideò jam eſt illi perindè ubi ſit, qualis ſit, quid faciat, quid patiatur, &c. jam poteſt ſe applicare ad quævis opera, ſinè differentiâ; non affectat quietem corporalem, nec ſolitudinem, vel non ſolitudinem; facit vel non facit exercitia vitæ activæ, pœnitentias, abſtinentias, colit vel non colit Sanctos, orat vel non orat vocaliter, fungitur, vel non fungitur officijs, & ſic de alijs; omnia pro ut cadunt, vel circumſtantiæ exigunt vel ſuadent, non faciendo ullam inter iſta differentiam, omnia quaſi æquè libenter, dummodò nihil apprehendat divinæ voluntati difforme, & omnia illi poſſit facere conformia; quippè jam percipit punctum veræ libertatis filiorum Dei, & novit omnia cum Deo, Deiformiter, & in Deo, tempore & loco, operari & facere cum plenâ quiete, & pace internâ; atque hoc modo paulatim appropinquat ſtatui Beatorum, & conſequenter ſanctæ innocentiæ.

Habent indifferentiam ad omnia.

Cum magnâ libertate ſpiritûs.

CA-

CAPUT XXIII.

Quomodò anima, occaſione libertatis ſpiritûs, ſubindè angatur ſcrupulis, an prætextu iſtius libertatis non nimium indulſerit naturæ.

Sap. 9. 15.

Pia anima non manet in uno ſtatu.

VErùm, cum durante hâc vitâ, *corpus, quod corrumpitur, aggravet animam*, & corrupta natura in hâc miſeriarum valle, numquàm perfectè moriatur, non poteſt anima in prædictâ conſtitutione ſtabiliter manere, nec creaturis in Deo, & Deo in creaturis ità conſtanter & purè frui, quin ſæpè vereatur, nè fiat nimis laxa, & libertatem ſpiritûs ſinat degenerare in libertatem naturæ; hinc aliquandò anxiatur, an in rebus indifferentibus non fuerit nimis extroverſa, an non quæſierit propriam ſatisfactionem, & ſenſualitatem miſcuerit, non ità purè quieſcendo in Deo.

Timet degenerare à verâ libertate.

Id quod dùm illi videtur, vel à ſatanâ cum magnâ vivacitate illi imprimitur, ut ſic quietem in Deo amittat; ſubindè ad extremam redigitur anguſtiam, neſciens, quò ſe vertere; quaſi omnis ejus converſatio nihil prorſùs valeret, præſertim ab illo tempore, à quo libertatem ſpiritûs ſequi cepit; & videtur tot defectus & imperfectiones in ſuâ converſatione deprehendere, ut nihil boni ſe feciſſe, imaginetur, ſed potiùs in ſe invenire videatur omnem duplicitatem, ſimulationem, fraudem, ſenſualitatem, adhæſionem ad creaturas, &c. ità ut apprehendat ſe eſſe in malo ſtatu, abſque eo, quod videat, quomodò poſſit ſe extricare; nam ex unâ parte volens ſe reſolvere ad confitendum iſta tamquàm peccata, manet in eâ reſolutione aliquo tempore, ſed poſteà illis impreſſionibus evaneſcentibus, & ſereniore aurâ aſpirante, liberatur ab omni anxietate, ſinè ullo remorſu conſcientiæ circà præterita, inſtar innocentis pueri, parata mori, etſi ſinè confeſſione, ſinè dolore de præteritis, imò inclinata, ut ſic pergat; poſteà rurſùs aliquandò redit impreſſio conducens ad inquietudinem.

Ejus anxietas nè decipiatur.

Anxietas evaneſcit.

Atque ità, quocumque ſe verterit, videt ubique occaſionem ſe ſummoperè humiliandi, non potens aſſequi aliquam aſſecurationem, quod ſit in amore Dei; licet enim confiteretur, ſubindè equidem ſentiet aliquem terrorem internum, an omnia confeſſa fuerit, an ſatis apertè, an cum dolore ſufficiente, & firmo emendationis propoſito; cum extrà tempus iſtius anxietatis, & vivæ impreſſionis, ægrè videatur de iſtis pœnitere, quaſi omnia benè fuiſſent, & adhuc ſic eſſe deberent; poſtmodùm iterùm ex

Nunquàm plene ſecura.

hâc

Digitized by Google

hâc quiete ei oritur alia inquietudo, quaſi haberet conſcientiam cauteriatam, quaſi eſſet excæcata, decepta, & alios deciperet, uno verbo, ſuſpicatur ſecum non benè àgi; ſicque auguſtiatur, quocumque ſe verterit.

CAPUT XXIV.

Quomodò anima in dictâ diſpoſitione ſe committere debeat divinæ Providentiæ, cum humilitate, ſed ſinè inquietudine; poteſt ſe etiam amorosè convertere ad Deum, Matrem amabilem, &c. omnem anxietatem modeſtè ſuſtinendo, & tunc etiam Deum adorando in ſpiritu & veritate.

DUm anima dicto modo ſe reperit diſpoſitam, nihil poteſt meliùs, quàm ſe in incertum committere divinæ Providentiæ pro tempore, & æternitate, in quo exercet extremam ſui abnegationem, conando omnia ſuſtinere cum quâdam quiete in Deo, uti ſuprà dictum eſt, cum plenâ fiduciâ in Deo, & ſpe quaſi contrà ſpem, cum amoroſâ animi converſione ad Matrem amabilem. *Anima debet ſe committere divinæ Providentiæ.*

Anima in hoc nunc eſt ſuprà, nunc infrà, inſtar naviculæ in medio mari cum fluctibus aſcendentis & deſcendentis, donec appellat ad portum ſalutis; intereà caveat omittere aliqua eorum, ad quæ tenetur, ſed conetur fideliter pergere, cum humili adoratione adinventionum divinæ Providentiæ, ut converſetur in humilitate, abſque eo, quod aliquam aſſecurationem poſſit obtinere, quod Deo placeat, vel unquàm placuerit; non obſtante, quod ab hominibus exiſtimetur ſanctè vivere, & in Dei amore liquefieri. *Adorat in omnibus Dei providentiam.*

